



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

Liber CIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)



Aurelianensis Virgo Franciæ Liberatrix.

W. Heisig Cuth. Sc. A. V.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CIII.

~~~~~  
GREGORIUS XII PAPA.  
SIGISMUNDUS OCCIDENT. EMANUEL II.  
ORIENT. IMPERATORES.

§. I.

*Joannes Hussus in quadam arcē custo-  
diæ traditus.*

Postquam in Sessione V. de omnibus, *Sæcul. XV.*  
quæ ad prosequendam Joannis Hussi *A. C. 1415.*  
causam necessaria videbantur, satis  
provisum erat, Commissarii hanc in rem  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI.* A nuper *Vander Hard tom. 4. pag. 66.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1415. nuper electi nil intentatum reliquerunt, ut Hussum ad palinodiam permoverent; eodem quoque tempore illius accusatores plurima errorum produxerunt capita: Is vero, licet in carcere detentus, adversa conflictaretur valetudine, ad omnia tamen sigillatim respondit. Inde cum ad publicum colloquium ab Imperatore (ut inquiebat) sibi promissum admitti crederet, spe sua delusus, ad novos carceres transfertur; Ministri enim Pontificii, quibus illius custodia in æde Franciscanorum demandata erat, Dominum suum Scaphusiam secuti, claves carceris Imperatori, & Cardinalibus (prout ipse Hussus in quadam epistola jactitat) reddiderunt, a quibus in Constantiensis Episcopi potestatem traditus, hujus jussu in arcem Gottlebiensem trans Rhenum haud procul ab urbe distitam, deportatus est, diligentiori custodia detinendus, donec judicii acta adversus eum plene instruerentur.

## §. II.

*Hieronymus Pragensis Constantiæ.*

*Æn. Sylv.*  
*Europ. c. 26.* Sub idem tempus Hieronymus Pragensis Constantiam venit; Incertum, cur Joannem Hussum in itinere comitatus non fuerit, cum tamen Historicorum testimonio constet, ipsum Amico suo prius abeunti



abeunti fidem dedisse, se brevi secuturum, Sæcul. XV.  
A.C. 1415.  
& quamprimum eum Constantiæ afflic-  
tari sibi innotesceret, illico suppetias la-  
turum. Ceterum Joannes Hussus, post-  
quam carceri mancipatus fuerat, Hiero-  
nymo per quosdam suos Amicos Con-  
stantiam venire dissuasit, veritus, ne illi  
eadem secum fors accideret. Nihilomi-  
nus tamen Hieronymus quævis pericula  
adire, quam fidem Hussu datam fallere  
satius duxit. Ergo quarta Aprilis die,  
comitante quodam ejus Discipulo, Con-  
stantiam accessit, atque ambo inter innu-  
meram incolarum frequentiam minime  
cogniti urbem ingressi sunt, in qua Hie-  
ronymus licet haud diu moraretur, pro-  
lixum cum Hussu colloquium habuit.

## §. III.

*Securitatæ literæ ab Hieronymo Con-  
stantia profugo petitæ.*

In aspectu carceris, quo detinebatur Hus- *Reichenat*  
sus, fremuit Hieronymus, ac non mo- *p. 224.*  
dice indignabatur, intelligens, publicum  
colloquium illi denegatum fuisse; qua-  
propter & ipse capiti suo metuens, una-  
cum suo discipulo post biduum Uberlin-  
gam auffugit, ubi ampliori fruens liber-  
tate ad Imperatorem, ac Bohemiæ Pro-  
ceres in Synodo præsentem epistolam mi-  
sit, suæque securitati datis literis caveri  
petiit.



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

petiit. Imperator ab initio reluctatus est, cum vero a Bohemiæ Nobilibus urgeretur, ipsamque Concilium instaret, dixit: Dabimus ei salvi comeatus literas, quibus munitus accedat, non tamen inde recedat.

## §. IV.

*Hieronymus in Bohemiam reversus.*

**H**ieronymus comperto Cæsaris responso, ad omnes Basilicas, & Monasteria urbis Constantiensis, necnon ad fores Cardinalium libellum affigi curabat, Latina, Germanica & Bohema lingua conceptum, quo Imperatori & Synodo significabat, se paratum esse Constantiam venire, ut doctrinam suam coram universo Concilio defenderet, atque Adversariorum suorum calumniam dilueret, si vero cujusdam erroris convinci posset, se omnes Hæreticorum pœnas ultro subiturum; proin se Imperatorem & Synodum rogare, ut sibi publicam securitatis sponsonem facerent, qua impetrata, si nihilominus aliquam vim, sive carceris pœnam, vel aliam quamcunque molestiam pateretur, universum orbem contra Concilium, injustitiæ testem futurum. Verum cum furdas pulsaret aures, in Bohemiam reversus est.

## §. V.



## §. V.

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.*Fridericus Dux Austriæ Imperio  
proscriptus.*

Sigismundus, cui Friderici Austriæ Ducis agendi ratio minime probabatur, *Vander Hardt tom. 4 p. 103.* concepto eum ubique persequendi consilio, septima die Aprilis ad omnes Constantiensis urbis Ecclesiarum valvas, necnon in quibusvis aliis locis publicis edictum affigi iussit, quo Fridericus ad iudicium vocatus, imperio proscribatur, omnesque illius Vasalli ab obedientiæ Sacramento absolvebantur. Epistolas quoque ad omnes Sueviæ, Helvetiæ ceterasque finitimas urbes dedit, præcipiens, Fridericum tanquam Ecclesiæ hostem, atque Imperii & Synodi perturbatorem omnibus viribus persequerentur. Quare non pauci Principes hac occasione abutentes, Fridericum deprædati sunt. Ipse Imperator contra illum coegit exercitum ex quadraginta circiter bellatorum millibus conflatum, quo omnes illius status invaderet. Occupaverat jamjam Stein, Dieffenhovam, Frauenfeldam, Vitodurum, aliasque ignobiliores Sueviæ urbes; quas inter Scaphusia deditione facta, iura liberæ Civitatis Imperialis pro certa pecuniarum summa redemit. Equidem Helvetii arma adversus Fridericum capere



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

pere diu morati sunt, quinquaginta annorum inducias cum eo a se initas causati, attamen cum Synodus excommunicationis poenam eis comminaretur, morem gesserunt, ea tamen lege, ut Imperatori cum Duce pacem inire haud liceret, quin & ipsi sub eadem comprehenderentur, ac præterea armis parata, perpetuo jure retinere possent. Vi hujus pacti totam Argoiæ regionem bello præfenti acquisitam in hanc usque diem sibi vendicant. Austriæ Dux, cum Helvetios, in quorum amicitia non minimam opis fiduciam habebat, defecisse cognosceret, se quoque ditionibus suis potissimam partem exutum, atque insuper potentissimo hoste pressum, necnon ab amicis suis derelictum cerneret, in maximas conjectabatur angustias; quippe Cæsaris potentiae obsistendo impar erat, eum vero adire, pacemque petere, periculis plenum videbatur.

## §. VI.

*Papa relicto Lauffenburgo Friburgum profugus.*

*Vander  
Hardt tom. 4  
p. 106. & 107*

Adversis hisce Austriaci fati Papa non parum conterritus, sibi que ipsi metuens, relicto Lauffenburgo Friburgum Brisgoiæ urbem concessit. Cum ergo ibidem magis quam alibi securum sese crederet, etiam longe



longe fortiores ostentavit animi spiritus. Sæcul. XV. A. C. 1415.  
 Hinc Friburgi ad Synodum dedit epistolam, in qua Pontificatus sui cessionem huic conditioni subjecit, si Imperator tales publicæ fidei literas, quales ipse peteret, sibi concessurus esset; postulabat autem, ut ei Concilium post cessionem impertiretur plenam, atque eandem securitatem ac libertatem, qua antea gavisus fuisset, item, ut sibi in ditionibus Ducis Austriæ, adversus quem bellum ponendum foret, sine metu morari liceret, necnon facta Papatus abdicatione ei dignitas Cardinalis Legati perpetui universæ Ecclesiæ deferretur, aut ad dies vitæ tractum Bononiensem, & Avenionensem Comitatum consequeretur, præter annuam pensionem triginta millium aureorum; Venetiis, Florentia, atque Janua in securitatem debiti oppignoratis. Denique, ut nullius, quiscunque demum foret, imperio subjiceretur, atque immunis esset a reddenda ratione omnium hætenus a se gestorum, aut imposterum gerendorum.

## §. VII.

*Congregationes ad profsequenda Synodi negotia.*

Interea vix non singulis diebus Nationes conventus suos agebant. In Congre-



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

gatione die nona Aprilis habita unum ex qualibet Natione Prælatum ad Cardinalem Vivariensem ablegant, eidem significantes, ut officio suo pro more fungeretur; quibus Vivariensis pollicitus est, se utpote S. R. E. Vice-Cancellarium de rebus gestis literas expediturum, jusque litigantibus partibus dicturum; negavit tamen, se Consistorium sine expresso Pontificis jussu unquam coacturum. His peractis Nationum Deputati negotium dant Cardinali Cameracensi, ut examen materiarum fidei in caussa Wiclefi, & Joannis Hussi prosequeretur, illius relationem, quamprimum jussus fuisset, ad Synodum delaturus. Hic doctrinam quidem discutere suscepit, judiciariam vero actionem Cardinalibus S. Marci, & Florentino, utpote Jurisperitis reliquit. Postridie sex Cardinales, antea cum Joanne Papa commorati, cum illorum securitati datis publicæ fidei literis satis cautum esset, Constantiam redierunt. Verum ubi cognovit Imperator a quibusdam fidei publicæ literas in abusum trahi, has illis, qui intra debitum tempus eis usi non fuissent, minime suffragari consentiente Synodo declaravit, cujus rei Diploma die decima tertia Aprilis hoc anno editum est.



## §. VIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1415.*Epistola Apologetica Synodi ad universos Christi fideles.*

In alia Congregatione eodem die habita recitata est Epistola Papæ Friburgi ad Concilium data, qua percepta Nationes in sua opinione adhuc magis firmabantur, nimirum, quod Pontifex unice cessionem eludere conaretur, nec unquam idoneum abdicationis suæ mandatum Procuratoribus tradere cogitaret. Cum vero jam plures Ordinum Generales post Joannis fugam a Concilio recessissent, Synodus in eadem Congregatione illis, qui adhucdum Constantiæ aderant, sub quocunque prætextu discedere inhibuit; absentibus vero, ut infra terminum triginta dierum ad Concilium redirent, injunxit, simulque indicta pœna privationis officiorum præcepit, ne integro hoc anno unquam Capitulum haberent.

*Lab. Conc.  
Gen. tom. 12  
p. 1474.*

Eodem die Patres in alia Congregatione horis pomeridianis celebrata, inter se conferebant circa literas encyclicas, quas ad Reges, Principes, Respublicas, atque Academias mittere decreverant, eo fine, ut Concilii gesta in caussa Joannis Papæ vindicarent. Depingebant Pontificem tam vivis coloribus, ut illius parum sincera fides, necnon præyæ ejusdem

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 108.*



Sæcul. XV. dem artes omnibus palam fierent; tuen-  
 A C. 1415. tur vero Imperatorem, & Joannis que-  
 relas in eum prolatas refellunt.

## §. IX.

*Manuelis Chrysoloræ obitus.*

*Vid. supr.*  
*Lib. CII.*  
*§. 75.*

*Vander*  
*Hardt to. I.*  
*Prolog. p. 10*  
*II.*

**B**iduo post hanc Congregationem, nimirum die decima quinta Aprilis Manuel Chrysolaras Græcus, celeberrimus vir diem supremum clausit, annos natus quadraginta septem. Erat is quondam itineris socius, dum Cardinalis Florentinus de tempore & Concilii loco cum Cæsare acturus Florentiam petebat, postea vero cum præfato Cardinale Constantiam venit, ubi etiam idem Cardinalis in Mense Septembri anno salutis millesimo quadringentesimo decimo septimo fati cessit. Chrysolaras ex primis illis Romanis, qui cum Constantino Magno Constantinopolim migrabant, originem ducens, ob merita sua, omnium iudicio, Pontificali gradu dignus habebatur, quæ laus speciatim in ejus Epitaphio Constantiæ in Ecclesia FF. Prædicatorum legitur. Literariæ Reipublicæ notissimum est, doctum hunc virum ad artes liberales in Europa restaurandas non parum contulisse. Docuit præterea per plures annos in Italia linguam Græcam, ferme septingentis retro annis neglectam, ejus-



ejusque industriæ debetur, quod non so- Sæcul. XV.  
lum Venetiis, Florentiæ, Romæ, & Pa- A.C 1415.  
tavii Græcarum literarum studium flore-  
ret, sed insuper latinus sermo, qui sæcu-  
lorum præcedentium barbariem pluri-  
mum redolebat, integritati suæ restitue-  
retur. Scripsisse fertur Grammaticam  
græcam, aliudque quoddam opusculum,

## §. X.

*Sessio sexta.*

**S**exta Concilii Sessio habita est die de- Labb. Conc.  
cima septima Aprilis; In ea agitatum, gen.tom. 129  
ut Joannes vel ad Synodum redire, vel p. 26.  
sincera fide Papatum deponere compelleretur. Igitur sacro solemniter de Spiritu Sancto per Archiepiscopum Gnesnensem decantato, Cardinalis Vivariensis, utpote ceteris antiquior, Sessioni præfuit, quo honore in reliquis quoque sessionibus usque ad electionem novi Pontificis defunctus est. Aderant Imperator, omnesque Cardinales Constantiæ degentes. Absolutis litanis, aliisque consuetis precibus S. Evangelium ex capite X. S. Joannis: *Ego sum Pastor bonus &c.* depromptum legebatur, postea concepta mandati formula, quæ Pontifici ad cedendum Papatu proponeretur, recitata, atque approbata est. His peractis duo ex qualibet Natione a Synodo designabantur Procurato-  
res,

res,



Sæcul. XV. res, illis adjungendi, quos Joannes Papa  
A.C. 1415. nominaturus esset. Tandem vero Car-  
 dinalem S. Marci, & Florentinum, alios-  
 que, qui ad hanc mandati formulam Pon-  
 tifici deferendam deputati fuerant, Syno-  
 dus confirmavit.

## §. XI.

*Papa per Deputatos ad Synodum  
revocatus.*

*Vander  
Hardt p. 126  
tom. 4.*

Hisce Deputatis datum est negotium,  
 Joannem urgerent, ut vel ad Syno-  
 dum rediret, vel infra bidui spatium Ul-  
 mam, Ravenspurgum, aut Basileam sibi  
 seligeret, eoque sese, præstituto decem die-  
 rum termino, conferret, nec inde rece-  
 deret, donec unionis negotium, in quan-  
 tum ab illo dependeret, absolutum esset.  
 Si vero recusaret, se ab eo exacturos Bul-  
 lam, in qua se Papali dignitate exutum  
 declararet. Sancitum quoque, illico con-  
 tra ipsum tanquam schismaticum, &  
 hæreticum notorium juxta legis rigorem  
 procedendum, si hæc conditiones sibi  
 oblatas acceptare renueret. Nihilomi-  
 nus Synodus, antequam ad hæc extre-  
 ma perveniret, Joannis responsum expe-  
 ctandum censuit, & Deputatorum disces-  
 sum omnino differendum, eoquod a Duce  
 Austriæ, per cujus ditiones transire de-  
 buerant, necdum liberi commeatus li-  
 teras



teras accepissent. Quæ cum justo diu-  
tius retardarentur, Papa collusionis cum  
Duce suspicionem incurrit. Quapropter  
Synodus Joannem publice citandum de-  
crevit, nisi ante proximam Sessionem de-  
sideratæ literæ mitterentur.

Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

## §. XII.

*Securitatis sponsio a Synodo Hierony-  
mo Pragensi facta.*

In eadem Sessione prælegebantur publi-  
cæ fidei literæ, quas Nationum De-  
putati ad preces Hieronymi Pragensis  
jamjam die undecima Aprilis confecerant,  
quæ tamen citationis edicto magis  
erant similes quam securitatis literis;  
quippe Hieronymus intra terminum quin-  
decim dierum absque ulteriore moni-  
tione comparere, atque ad quæstiones  
super doctrina sua proponendas responde-  
re jubebatur. In iisdem quoque hæc le-  
gebantur verba: *Ad quod a violentia, ju-  
stitia semper salva* (nempe si Hieronymus  
hæresin aliquam defendere deprehende-  
retur, tamen eam vel abjurare, vel si re-  
nueret, poenæ subiacere deberet,) *omnem  
salvum conductum nostrum, quantum in no-  
bis est, & fides exigit orthodoxa, præsen-  
tium tenore offerimus.* Hæc clausula: *Salva  
&c.* in securitatis literis Joanni Hussi  
datis expressa non legitur.

Idem pag.  
106.

## §. XIII.



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

§. XIII.

*Famosi libelli damnantur.*

*Infra* §. 26. **P**ostea Concilium edidit Decretum, quo libellos famosos, honorem universalis Concilii, & particularium personarum famam lædentes, proscripsit, adjecta interim excommunicationis ac carceris poena, quousque ulterius contra delinquentes procedi posset.

§. XIV.

*De Cardinalium exclusione a quibusdam Congregationibus.*

*Gob. Pers.  
Cosm. æt. 6.  
c. 94.  
Spond. ad  
an. 1415. n. 25*

**P**erlectis cunctis decisionibus, ac Synodi Decretis, Prælati quidam, ut nonnulli Scriptores referunt, Cardinales ab iis conventibus, in quibus de causa Joannis XXIII, & de reformatione Ecclesiæ ageretur, excludendos esse proposuit, quinque rationibus innixus, quas quinque veritates appellitare non dubitavit. Prima & principalis erat hæc: Non sit licitum Papæ, & Cardinalibus, interesse Conventibus, ubi ageretur de reformatione Pontificis & Cardinalium; non enim decere, illos iudices esse in propria causa. II. Puniantur illi Cardinales, qui Joannem elegerunt, scientes eum talem esse, qualis arguebatur. III.

Habe-



Habeatur suspecta illorum Cardinalium fides, qui Joannem post ejus fugam secuti sunt. IV. Pariter tanquam suspecti arceantur Cardinales, eo quod Constantiam reversi, antea Concilium per Papæ absentiam dissolutum fuisse asseruissent. Tandem V, & ultima ejus ratio erat, quia, quamdiu non supprimerentur vel suspenderentur potestates Pontificis & Cardinalium, nemo, nec ipsum Concilium, sat virium atque auctoritatis habere posset, ad reformandam Ecclesiam in Capite & membris suis; cum semper Joannes inventurus esset fautores potentissimos, qui dignitates suas, & favores auro sibi compararent. Quid de hisce articulis actum, vel decisum fuerit, minime constat, hoc unicum memoriæ proditum habemus, quod Cardinales sequenti die Nationibus exhibuerint libellum, quo comprobant, jus sibi competere congressibus ad unionem, ac reformationem Ecclesiæ institutis assistendi, suffragiumque consultivum ferendi. Libellus iste propositiones continet, quæ multum Italorum sapiunt indolem.

## §. XV.

*Epistola Parisiensis Academicæ ad Synodum, Papam, & alios.*

In hac Sessione Benedictus Gentianus Universitatis Parisiensis Deputatus tres legit

Sæcul. XV.

A.C. 1415.



Secl. XV.  
A.C. 1415.

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 121.*

legit ejusdem Academiae Epistolas. Prima inscripta erat ipsis Universitatis Deputatis; Altera Synodo; Tertia demum Imperatori, in quibus tam hos, quam illos ad caeptum unionis negotium, non obstante Pontificis absentia, constanter prosequendum adhortata est. Eadem quoque Universitas epistolam, quam ad Pontificem post ejus fugam scripserat, suis Deputatis communicabat, in eaque Pontificem, ut salutare sessionis propositum exequi, constanter curaret, excitabat, simul significans, se non sine stupore ejus fugam, atque dissidia ipsum inter & Synodum exorta percepisse. Tandem etiam Pontificem precabatur, ut Constantiam rediret, hocque pacto honori suo consuleret, & bene caepa non sine nominis sui gloria ibidem consummaret. In eadem quoque Sessione Synodales literae ad omnes Christi fideles, & nominatim ad Franciae, ac Poloniae Reges datae recitabantur. Quibus peractis sessio soluta est.

§. XVI.

*Disceptatio Theologorum de modo  
concupiendi Decreta.*

*Idem tom. 4.  
p. 136.*

Postquam nonnulli Doctores per plures dies cunctos Wiclefi articulos maturo examine discusserant, reliquum erat,  
ut



ut horum damnationis decretum conficeretur. Ast non leves inter Theologos exortæ fuerunt dissensiones de modo, quo illud condere oporteret. Nonnullis enim, hos articulos *nomine Pontificis, accedente Concilii approbatione* damnandos esse videbatur: Contendebant alii, omiſſa Pontificis mentione Decretum duntaxat *nomine Synodi* concipiendum esse. His suffragabatur Cameracensis Cardinalis, quia, ut assererat ille, Concilium est supra Papam, ipse enim non nisi aliquod est Concilii membrum. Verum ex quadraginta Doctoribus solum duodecim in hanc descenderunt sententiam, reliquis omnibus oppositam firmiter tuentibus. Cardinalis, ut ceteris doctrina eminebat, ita pertinacius quoque suæ inhærebat opinioni, inquit: Concilium tantam supra Pontificem habere auctoritatem, ut ab illo exauctorari valeret. Joannis fautores sedulo de hac sententiarum varietate eundem certiore reddebant, Petrum de Alliaco velut Pontificis hostem atris admodum coloribus depingentes. Nilominus Alliacensis rem vix edoctus, confestim propria manu ad Papam perscribit, significans, se non modo ea, quæ gessisset, sed etiam iudicium a se latum coram Synodo tueri paratum esse. Quod & præstitit quamdam divulgans scripturam, quæ inserta habetur tractatui a se

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI. B com-



Secul. XV. composito de Concilii atque Pontificis au-  
A. C. 1415. auctoritate.

## §. XVII.

*Scriptura Petri Alliacensis Cardinalis  
 Cameracensis.*

*Gerson. op.*  
*to. 2. p. 950.*

**D**ocuit Petrus in hoc scripto, erroneum, imo nonnullis videri, hæreticum esse, cum adversariis asserere, *Concilium nullam per se auctoritatem habere, nisi ex capite, videlicet Papa.* Exinde enim sequi, quod *Pisanum Concilium non habuisset auctoritatem ullam, quia auctoritate Papæ non fuit congregatum, ac Joannes XXIII. legitime haud modo fuisset electus, qui Alexandro V., quem hæc Synodus elegit, successerat.* His addit, idem hoc Concilium Pontifice superius extitisse, eo nomine confirmari; argumento etiam satis valido, *quia illi duo contendentes condemnati fuere Pontifices; æqualem quoque potestatem alteri quoque Concilio in quodam casu competere posse.* Tandem ex his concludit evidenter *falsam esse quorundam Juristarum opinionem, dicentium, quod in Concilio Generali Papa duntaxat judicet, & desinat, & Concilium solummodo suadeat, & consulat, nec Papa teneatur sequi deliberationem, vel suasionem Concilii, sed quod standum videatur sententiæ Papæ, si contradiceret Concilio.* Ut vero



ro hujus opinionis falsitatem demonstra-  
ret, tradit, quod Ecclesia universalis,  
proin Concilium eam repræsentans, a  
*Christo Domino, & non a Papa Privile-  
gium auctoritatis habeat, quod in fide errare  
non possit; sed talem, subjungit, auctori-  
tatem non habet Papa, cum errare possit.*

## §. XVIII.

*Mandata Cardinalibus Friburgum ad  
Papam ituris data.*

**D**ie decima nona Aprilis Cardinales, ac  
Nationum Deputati a Synodo ad Pa-  
pam Friburgum abire jussi, non modo  
verbis, sed tota consilii serie instruebantur.  
Præter generale mandatum, quo  
ad mentem Synodi intra certum tem-  
poris spatium cessionis tabulas exigere  
jubebantur, insuper injunctum est, ne ab  
invicem separati unquam cum Pontifice  
agerent, nec de aliis negotiis directe vel  
indirecte cum eo tractarent, denique duo-  
decimo abhinc die ad Synodum rever-  
terentur. Hi sine dubio potestatis de-  
mandatæ limites transgrediebantur, eo-  
quod libellum, quem ipsis Antiochenus  
Patriarcha dederat, Pontifici tradendum in  
se suscepissent; Huic autem Scripturæ al-  
tesatus Præsul binas inferebat proposi-  
tiones, quarum prima erat: Pontifex est  
Synodo auctoritate superior. Altera,  
B 2                      Decreta

Sæcul. XV.  
A. C. 1415.



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

Dist. 19. c. 7.

Decreta nomine Papæ, non autem nomine Concilii edantur, argumento, ut in-  
quiebat, petito ex hac Juris Canonici Re-  
gula : *Papa judicat omnes, nec ab ejus  
sententia appellare licet; ipse autem a nemi-  
ne, nisi a solo Deo judicatur.* Verum  
Antistes ille scite animadvertere debuis-  
set, quod in hoc loco nequaquam de au-  
toritate Pontificis ad Concilium, nec  
Concilii ad Papam collata agatur, sed de  
submissione, quam singuli Episcopi par-  
ticulares erga Summi Pontificis senten-  
tias in privatis eorum causis inter se con-  
troversis latas exhibere tenentur. Ad  
quod comprobandum legisse sufficiat D.  
Leonis epistolam, quæ juxta antiquam e-  
ditionem octogesima nona est. Cete-  
rum Cardinalis Cameracensis hoc scri-  
ptum responso confutare haud cunctaba-  
tur, ejusque opinionem Synodus non modo  
adoptavit, sed ipse etiam Patriarcha post-  
modum se purgare jussus, hæc non deci-  
dendi, sed mere proponendi gratia scri-  
psisse se, affirmavit.

§. XIX.

*Deputatorum discessus. Brisaci Papam  
adeunt.*

*Bourgeois  
Preuves  
p. 342. 343.  
Es.*

Deputati a Concilio ad Papam missi,  
cum eundem jam Friburgo discessis-  
se intelligerent, Brisacum petunt, eo enim  
a Bur-



a Burgundiæ Ducis familiaribus delatum, Sæcul. XV.  
A.C. 1415.  
 inde vero ab iisdem Avenionem deducendum credebant. Nec sua eos opinio fefellit; nam Pontificem Brisaci inveniunt, qui eos altera adventus die vigesima quarta Aprilis ad alloquium admittit, pollicitus, se sequenti primum die eorum postulatis responsurum. Hi non modice obstupuerunt, ubi fama ad eos pervenit, quod Papa eadem adhuc nocte Brisaco Nienburgum, parvum id oppidum est Brisaco vicinum, quod Rhenus aluit, clam discesserit. Omnes hæ rerum vicissitudines non parum Deputatorum solertiam fatigabant; hujus tamen eventus notitiam illico ad Synodum perscribebant; quo percepto Concilii Patres ad Austriæ Ducem literas dederunt, supplices, ut Joannem haud ultra protegeret, imo eundem potius, uti sacramento sese obstrinxisset, e fuga retraheret, Dux per officiose respondit, se comperta turpi Pontificis fuga nullam illi clientelam impensurum, sed in omnibus, & per omnia Concilio adhæsurum, quæ tamen declaratio sincera non fuit.

## §. XX.

*Hieronymus Pragensis captus, & Constantiam ductus.*

Interea temporis Hieronymus Pragensis *Vander Hardt to. 4.  
p. 134.*  
 in reditu suo in Bohemiam, Hirsavie captus



Sæcul. XV. captus est. Commemorat Reichental-  
 A.C. 1415. lius, Hieronymum, cum ad quoddam  
 Hercyniæ, seu sylvæ nigræ oppidum per-  
 veniret, atque a Parocho loci, qui eodem  
 die suos Collegas convivio exceperat, in-  
 vitaretur, atrocibus maledictis Synodum  
 proscidisse, eamque Sathanæ Synagogam  
 appellando, jactitasse, cunctos illius Do-  
 ctiores, & Prælatos rubore suffusos, a se  
 fuisse devictos; a Clericis vero ob hæc  
 convitia ad iram concitatis illum petu-  
 lantiæ suæ coram Magistratu fuisse accu-  
 satum, a quo etiam postera die compre-  
 hensum Constantiam deportatum fuisse,  
 ibique carceri tradi jussum. Discipuli  
 Hieronymi Pragensis ejusdem facti duas  
 alias nobis reliquerunt relationes eodem  
 tempore scriptas, in quibus, præcisus aliis  
 circumstantiis, narrant, quod ab officiali-  
 bus Ducis Solisbacensis Hirsaviæ deten-  
 tus, inde Solisbacum deductus, ibidem  
 usque ad ulteriora Concilii mandata, cu-  
 stodiæ datus fuerit. Interea vero Solis-  
 bacensis Ducis Filius Synodum de Hie-  
 ronimi detentione certiozem reddiderit,  
 atque acceptis Concilii jussis eundem ca-  
 tenis vinctum Constantiam miserit.

## §. XXI.

*Imperator Austriaco reconciliatus, ea  
 lege, ut Pontificem reduceret.*

Bzov. an.  
 1415. n. 26.

Ludovicus de Bavaria Ingolstadiensis  
 lineæ,



lineæ, unus ex Legatis Galliarum Regis, Sæcul. XV: A.C. 1415.  
 ut Austriæ Ducem Imperatori reconcilia- Martenn. Thes. nov. Anecd. tom. 2 p. 1629. &c.  
 ret, strenue suam navabat operam. Un-  
 de Sigismundus pacatiorem quidem ani-  
 mum induit, in gratiam tamen recipere  
 noluit Fridericum, nisi Joannem Papam  
 sibi traderet. Annuit Ludovicus Bava-  
 rus, petitque ab Imperatore pro Austria-  
 co impunitatis literas, pollicitus, se Du-  
 cem ad Synodum reducturum, necnon  
 eidem persuasurum, ut ipse quoque Pa-  
 pam dimitteret. Ergo Dux Bavarix,  
 obtentis fidei publicæ literis, reliqua per-  
 ficere in se suscepit. Interea vero Joan-  
 nes Nienburgi haud majori quam alibi,  
 tranquillitate fruebatur; primo enim quo  
 advenerat, vespere nunciatum est illi, Ba-  
 fileenses urbem proxima nocte oppu-  
 gnaturos, eaque solo æquata, denique ip-  
 sum abducturos captivum; quam ob  
 rem arcis Præfectus Joanni fugam suasit.  
 Papa terrore perculsus, quamvis intrep-  
 idum simularet animum, petiit ab eo, ut  
 sibi saltem Rhenum trajicere liceret, sed  
 repulsam passus, Brisacum redire coactus  
 est, quo versus noctis medium pervenit.  
 Illuc quoque Austriacus ad Joannem  
 contendit. Interea vero Synodales De-  
 putati se a Pontifice delusos, non parum  
 indignati, Constantiam reversi sunt, & Fri-  
 burgum delati, Bavarix Ducem, qui  
 exiguo post illos tempore advenerat, salu-  
 tant,



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

tant, cum eo conferentes de fuga Pontificis, necnon de illius artibus, atque obstaculis, quæ ejus perfidia unioni opponerentur. Eadem die Bavarus sole ad vesperam inclinato, assumptis secum duobus Deputatis, scilicet Joanne Dacherio, & Joanne Despartio ipse Brisacum pergit, cum Austriaco collocuturus; nec id prospero successu caruit; quippe Deputatos inter, & ambos hosce Principes statutum fuit, cohibendum esse Pontificem ab ulteriori fuga, atque ad Imperatoris alloquium deducendum. Austriacus primo alterum hoc punctum reprobare videbatur, tandem vero & ipse acquievit, omnesque quatuor postera die Friburgum reversi sunt. Cogitur ergo Papa iterata experiri colloquia, minus sibi accepta, cum autem in promissis admodum liberalis esset, non dubitavit Deputatis polliceri, se simulac discessissent, cessionis suæ mandatum meliori quo posset, modo conceptam, ut Synodi votis plene satisfaceret, transmissurum.

## §. XXII.

*Reditus Synodaliū Deputatorum ad  
Papam.*

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 136.*

Igitur Pontifex ejusmodi cessionis formulam Procuratori suo per Comitem Bertholdum Ursinum concedidit, ea tamen



men lege, ut vel eam apud se retineret, Sæcul. XV.  
A.C. 1415.  
vel nata occasione, & duntaxat ad specia-  
le ejus mandatum, illam Concilio exhi-  
beret. Interim Deputati Constantiam  
reversi, in particulari quodam confesso,  
ad id a Cæsare coacto, de rebus gestis ra-  
tionem reddebant, ubi Patres omnia Pon-  
tificis studia eo converti censebant, ut  
tergiversationibus suis illuderet Concilio.  
Quapropter citationem jam antea contra  
eum constitutam in proxima Sessione ex-  
equi decernebant.

## §. XXIII.

*Abdicationis formula a Concilio  
rejeta.*

Postquam Austriæ Dux trigesima Apri- Spond. an.  
1415. n. 26.  
lis Constantiam venit, cum Cæsare  
ac Synodo in gratiam rediturus, Joannes  
tunc suæ quoque securitati consulendum  
esse censuit. Igitur Comitem Urfinum  
e vestigio ad Synodum ablegat, ut datæ  
ad renunciandum potestatis formulam si-  
bi antea traditam Concilio porrigeret.  
Patres vero illam verbis adeo ambiguis  
conceptam, tamque immoderatis, insoli-  
tisque conditionibus infectam cernentes,  
arbitrati sunt, quod Papa nonnisi va-  
nis ejusmodi cedendi mandatis studiose  
tempus protraheret, spe fretus, Ducem  
Burgundiæ, qui eum e Germania educe-



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

re pollicitus esset, sibi interim potenter succursurum. Equidem Papa in ista formula promisit, juravitque, se pure ac simpliciter Papatui renunciaturum, hac tamen lege, ut sibi prius per Concilium de ipsius honesto vitæ statu ac libertate satis provisum esset, & quidem sub ea forma, ac conditione, quam Cardinalibus S. Marci, & Florentino insinuasset, & Synodo proponi jussisset. Ergo nil reliquum esse judicabant Patres, quam publicam habere Sessionem, in qua citationem jam antea unanimi consensu sanctam, effectui darent. Nihilominus ante hanc Sessionem in sacello adhuc conveniunt, super iis, quæ præcedenti die decreverant, deliberaturi. Ceterum Cardinales identidem conquerebantur, sibi in conventibus Nationum nunquam ut Cardinalibus, sed mere ut Nationum Deputatis suffragandi jus concedi, nec non aliquot duntaxat ante Sessionem publicam horis ad congressum vocari, ibique primum sibi, quæ in Sessione perlegenda essent, statim approbanda proponi. Ad hæc Synodus respondit, quod & ipsi suarum Nationum conventibus interesse, ac sicut ceteri Deputati sua suffragia dare omnino valerent, ast dignitatis Cardinalitiæ rationem nullam fore habendam. Quare victas dare manus, aliorum arbitrio cedere, & Sessioni sequenti

ti



ti interesse, necessitate compulsi sunt: cer-  
 nebant enim res Joannis Papæ in pes- Sæcul. XV.  
 A.C. 1415.  
 simo loco, imo jamjam desperatas esse,  
 ex quo Fridericus ejusdem Fautor Con-  
 stantiam venisset. Nihilominus huic  
 Sessioni nonnisi duodecim ex Purpuratis  
 aderant.

## §. XXIV.

*Sessione septima.*

Sessione hæc die secunda Maji habita or- Labbe Conc.  
 tom. 12. p. 35.  
 dine septima fuit, cui Cardinalis Viva-  
 riensis, præsentem etiam Cæsarem, præfuit.  
 Primo causa Hieronymi Pragensis discu-  
 titur, qui cum ad primam citationem de-  
 cima octava Aprilis factam non compa-  
 ruisset, altera vice secundum juris præ-  
 scripta in iudicium vocandus decernitur.  
 Postea Concilii Procuratores Joannis  
 gesta satis prolixè prosequuntur, eique  
 cum omnibus illius sequacibus diem dici,  
 necnon securitatis literas, ut libere ac tu-  
 to Constantiam adire possent, Concilii ac  
 Cæsaris nomine dari postulant.

## §. XXV.

*Citatio Joannis XXIII. Papæ.*

Summam citationis impræsentiarum ex- Ibid. p. 37.  
 hibeo: *Sacrosancta Constantiensis Syno-  
 dus Ecclesiam Catholicam repræsentans, in  
 Spiritu*



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

*Spiritu Sancto legitime congregata universis Christi fidelibus unionem & pacem Ecclesie ac gaudium sempiternum. Pridem post clandestinum recessum Joannis Papæ XXIII. ipsam Ecclesiam scandalizantem, & contra datam fidem factum, per nonnullos Prælatos & alios nobiles viros ad eum transmissos, eundem requiri, ac moneri fecimus cum debita instantia, quatenus ad hanc civitatem Constantiensem rediret, ea quæ promiserat, voverat, ac juraverat, impleturus. Et cum id facere nolle, non redeundo, & ad loca magis longinqua fugiendo, ostenderet; a Concilii Promotoribus requisiti, ipsum per edictum publicum peremptorie citamus ac decernimus, quatenus hinc ad novem dies proxime venturos a die executionis hujusmodi citationis nostræ publicandæ ipse & sui fautores personaliter compareant, ad accusationum capita hæresis, schismatis, simoniæ, malæ administrationis ac dilapidationis bonorum Ecclesie Romanæ & aliarum Ecclesiarum, necnon & de aliis pluribus & gravibus criminibus, in quibus incorrigibilis perseverat, de jure & justitia responsurus. Certificantes, quod sive in dicto citationis hujusmodi termino comparuerint, sive non, contra eos ad ulteriora per nos debite procedatur, justitia mediante. Perlecta hac citatione Patres, Sessione sequenti ad quartam Maji diem indicta, discesserunt.*

§. XXVI.



## §. XXVI.

*Synopsis Historiæ Wiclefi.*

Cum præcipuus octavæ hujus sessionis scopus esset, memoriam Wiclefi, omnesque doctrinæ ejus articulos condemnare, Lectori haud injucundum erit, si Hæresiarchæ hujus gesta breviter adumbrabimus. Erat Natiōe Anglus, Oxoniensis Academiæ Doctor, ac Theologiæ Professor, & Lutterworthensis Ecclesiæ in Diœcesi Lincolniensi Plebanus; illo tempore, quo Monachos inter & Presbyteros sæculares fervida agitabantur dissidia, magni nominis famam apud præfatam Academiam sibi conciliaverat. Ubi vero Clerici sæculares caussa ceciderant, Wiclefus ira ac furore accensus, auctoritatem ac jura Pontificis, Clericorum vitia, & Monachorum mendicantium usurpationes, acribus convitiis insectatus est. Clericorum sæcularium ope Rector Collegii Oxoniensis, in utilitatem Cantuariensium studiosorum conditi, renuntiatus est. Postquam hac dignitate per aliquot annos functus esset, Langhamus in Archiepiscopum Cantuariensem post Simonis Islibi hujus Collegii Fundatoris obitum electus, Wiclefum ab hoc officio amovit, instigantibus Monachis, qui de novo ad Collegium admissi, in Wiclefi locum

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

*Polyd. c. 18.  
Walsing. in  
Eduard. III  
& Richard.  
II.  
Valdeas to.  
2. diff. 5.*

cum



Sæcul. XV.  
A.C. 1415

cum, Religiosum quemdam, nomine Vo-  
dehull, promovere cupiebant. Ergo Ar-  
chiepiscopus Wiclefo præcipit, dignita-  
tem suam huic Monacho cederet, cum  
autem obtemperare renuisset, Archiepis-  
copus hujus collegii reditus apud seque-  
strem deponi jubet. Postea Urbanus V.  
Papa, ad quem Wiclefus ab hac senten-  
tia appellavit, causam Langhamo & Mo-  
nacho addixit, utrique, exclusis Clericis  
fæcularibus, per Bullam anno MCCCLXX.  
datam hujus Collegii possessionem vin-  
dicans.

Ergo Wiclefus loco cedere cogitur, sed  
ob sinistram hoc fatum adversus Curiam  
Romanam non parum indignatus vin-  
dictæ occasiones sedulo quærebat. Tunc  
temporis sententia de Dominio Papæ  
& Ecclesiæ in bona temporalia, in Anglia  
vel maxime prævalebat, ibique valde am-  
pla erat Episcoporum jurisdictio. Igi-  
tur Wiclefus contra utrumque arma sua  
acuere statuit; cumque ejusdem ausus  
faverent Regi, qui suam potestatem au-  
toritate Pontificum & Episcoporum in-  
firmari, ac decrescere censebat, præte-  
rea Proceribus Regni, qui bona Eccle-  
siarum detinebant, & censurarum Eccle-  
siasticarum jugum excutere cupiebant, ac  
denique etiam populo grata admodum  
essent ejusmodi molimina, utpote cui  
præstatio denarii S. Petri, aliæque Ro-  
mano-



manorum exactiones graves acciderant, Sæcul. XV.  
A.C. 1415.  
facili negotio Wiclefus complures Patronos atque fautores sibi conciliabat. Quorum ope fretus publice in scholis, & concionibus suis contra Papalem atque Episcopalem jurisdictionem declamare cæperat. Verum errore hoc altiores agente radices, sibique famam conciliante, Simon a Sudburii Cantuariensis Archiepiscopus mense Februario anno MCCCLXXVII. Londini convocavit Synodum, ad quam Wiclefus citabatur, doctrinæ suæ rationem redditurus. Comparuit comitante eum Lancastriæ Duce, qui propter Eduardi III. imbecilliores ingenii ac corporis vires rerum summam administrabat. Wiclefus coram Archiepiscopo causam dixit, & sine lata condemnationis sententia recessit.

Verum Gregorius XI. Urbani V. successor de doctrina Wiclefi in Anglia disseminata, nec non de Patronis, sub quorum auspiciis sui condemnationem effugerat, certior factus, ad Episcopos Angliæ literas dedit, quibus eum comprehendi, aut si forte id fieri non posset, illum Romam citari iussit, simulque novemdecim Propositiones, quas Wiclefus effutierat, ad Episcopos misit, easque tanquam hæreticas, atque erroneas damnavit. Vix hæ Pontificis Epistolæ in Angliam delatæ, & post obitum Eduardi  
Regni



Sæcul. XV. Regni Præsulibus redditæ fuerant, hi eo-  
 dem anno ad finem vergente Lambe-  
A.C. 1415. thi Concilium convocant, in quo Wicle-  
 fus quidem comparuit, iterato tamen da-  
 mnationis fulmen declinavit, utpote  
 Procerum, populique favore adeo poten-  
 ter suffultus, ut Episcopi adversus eum  
 haud amplius moliri auderent, quam quod  
 eidem, postquam suas propositiones in  
 sensu adhuc tolerando explicasset, silen-  
 tium imponerent. Verum non multo  
 post tempore in Anglia propter pupilla-  
 rem Richardi II. ætatem, qui nonnisi ter-  
 tium decimum annum agens Patri suo  
 successerat, ingentes suscitati fuere tu-  
 multus, ipso populo adversus Nobiles ad  
 rebellionem concitato. Igitur seditiosi  
 excusso Procerum, ac Magistratum ju-  
 go consueta tributa pendere recusant,  
 bona eorum diripiunt, Archiepiscopum  
 Cantuariensem, necnon primarios An-  
 gliæ Ministros trucidant, perque totum  
 Regnum innumera committunt flagitia;  
 Et licet Wiclefi doctrina ad hæc turbas  
 forsan non parum contulisset, ipse tamen  
 furentium factioni palam non accessit,  
 dogma vero suum ubique spargere non  
 destitit, ac novos magisque perniciosos  
 errores prioribus accumulans, frequentes  
 quoque Discipulos eadem docentes sibi  
 conciliavit. Guilielmus Curtenacensis  
 Archiepiscopus Cantuariensis, ut ulterio-  
 res



res errorum progressus inhiheret, Mense *Sæcul. XV.*  
 Majo Anno Domini millesimo trecente- *A.C. 1415.*  
 simo octogesimo secundo Londini convo-  
 cavit Concilium ex octo Episcopis, plu-  
 rimis Doctoribus, & Theologiæ, Jurisque  
 Baccalaureis conflatum, in quo viginti  
 quatuor Wiclefi propositiones damnaban-  
 tur, nimirum decem tanquam hæreticæ,  
 quatuordecim vero ut erroneæ, & Ec-  
 clesiæ definitionibus contrariæ. Priori-  
 bus ille Eucharistiam, præsentiam rea-  
 lem, sacrificium Missæ, & Confessionem  
 impugnabat; his autem adversus excom-  
 municationem, verbum Dei prædicandi  
 potestatem, decimas, preces, statum re-  
 ligiosum, aliasque Ecclesiæ consuetudi-  
 nes impotentibus furiis tumultuabatur.  
 Sunt, qui testantur Wiclefum, cum in  
 Concilio comparuisset, fidei suæ formula  
 Patribus exhibita, suos errores retractas-  
 se, realemque Christi præsentiam in Eu-  
 charistia professum esse. Denique Wi- *Wiclefi*  
 clesus aliquot ex post annis ultima die *obitus.*  
 Decembris Anno millesimo trecentesi-  
 mo octogesimo septimo Lutterworthi ex  
 hac vita migravit.

Varia Wiclefus reliquit opuscula, in *Ejus opera,*  
 quibus suam doctrinam firmare conaba-  
 tur, ex illis quoque Joannes Hussus, &  
 Hieronymus Pragensis, pluresque alii er-  
 rorum suorum venenum liberaliter hau-  
 serunt. Palmarium illius opus est Tri-  
 a-  
*Hist. Eccles. Tom. XXVI,* C logus



Sæcul. XV. A.C. 1415. logus ad modum colloquii veritatem inter, & mendacium, ac sapientiam conscriptus, huncque ferme solum typis impressum novimus. Cum vero ejus Discipuli hunc librum, aliosque plures post Magistri sui obitum ubique vulgare, ejusque errores propagare non cessarent, Thomas Arundelius, qui Guilielmo Curtenacensi Archiepiscopo Cantuariensi successerat, Anno salutis millesimo trecentesimo nonagesimo sexto Londini Provinciam coegit Synodum, in qua duodeviginti articulos ex præfato Trialogo extractos damnavit, tandem vero editis decretis, atque Constitutionibus in Concilio, quod idem Archipræsul Anno Christi quadringentesimo octavo supra millesimum Oxonii celebravit, hæc hæreses penitus proscripsit. Quorumdam Scriptorum fide, quos inter Infantius post Wartonum recensetur, testatum habemus dictum Londinense Concilium primum anno salutis millesimo quadringentesimo decimo initium sumpsisse, in eoque octodecim istos articulos non ex Trialogo, sed ex alio quodam opusculo, cui Wicelista idem nomen ad imitationem sui Magistri indiderant, decerptos fuisse.

Ceterum Wicelii libros quidam sectæ hujus Discipulus, nomine Petrus Paynus, in Bohemiam invexit, illius vero doctrina, cum brevi tempore Magistros, atque



atque Universitatis Pragensis scholares Sæcul. XV. A.C. 1415.  
 inficeret, a Sbincone ejusdem urbis Ar-  
 chiepiscopo anno Incarnationis millesimo  
 quadringentesimo decimo damnata fuit,  
 ejusdemque jussu ducenta ferme descri-  
 pta hujus Hæresiarchæ volumina flam-  
 mis tradita fuere. Postmodum vero sub  
 annum a Christo millesimum quadrin-  
 gentesimum duodecimum Joannes Papa  
 in Concilio Romano hanc hæresin confi-  
 xit, omnibus tamen in Curia Romana  
 comparere petentibus novem mensium  
 terminum concessit, infra quem Wiclefi  
 personam propugnare, & siquid in ejus  
 defensionem allegare possent, proponere  
 ipsis liceret.

## §. XXVII.

*Sessio octava.*

Præstituta die quarta Maji, ritu con-  
 sueto, præsentate Imperatore octava Labbe Conc. tom. 12. p. 42.  
 celebrata fuit Sessio. Sacris solemni-  
 bus, & lytaniis recitatis legebatur Evan-  
 gelium ex capite 7. S. Matthæi v. 15. *At-  
 tendite a falsis Prophetis.* Sermonem ha-  
 buit Episcopus Tolonenfis, sub Themate:  
*Spiritus veritatis docebit vos omnem ve-  
 ritatem. Joan. 16. v. 13.* Quo factò præ-  
 primis de citatione, quæ præcedente ses-  
 sione erat decreta, agebatur, simulque  
 Sigismundus Austriæ Ducem, ut Cæsa-  
 ris,



Sæcul. XV. ris, & Concilii gratiam peteret, Constan-  
A.C. 1415. tiam venisse significabat.

## §. XXVIII.

*Quadraginta quinque Wiclefi Articuli  
a Concilio damnati.*

*Labbe Conc.  
tom. 12. p. 46.*

*Vander  
Hardt to. 3.  
p. 12.*

Quemadmodum principalis esset hujus  
Synodi finis, ut ad condemnationem errorum Wiclefi procederetur, ita in præsentem Patres proscripserunt eos, qui in quadraginta quinque Articulos, seu assertiones redacti erant, & jam antea ab Universitatibus Parisiensi, & Prageni censuris notabantur; horum primos viginti quatuor Guilielmus Curtenacensis, Archiepiscopus Cantuariensis, damnaverat. Illos autem Archiepiscopus Genuensis prout eos impræsentiarum exhibemus, in Synodo prælegit.

I. *Substantia panis materialis & similiter substantia vini materialis, manet in Sacramento Altaris.*

II. *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.*

III. *Christus non est in eodem Sacramento identice, & realiter in propria præsentia corporali.*

IV. *Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.*

V. *Non*



V. *Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.*

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

VI. *Deus debet obedire diabolo.*

VII. *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.*

VIII. *Si Papa sit præscitus, & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi forte a Cæsare.*

IX. *Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.*

X. *Contra Scripturam sacram est, quod Viri Ecclesiastici habeant possessiones.*

XI. *Nullus Prælatatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum esse excommunicatum a Deo, & qui sic excommunicat, est hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.*

XII. *Prælatatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis & Regni.*

XIII. *Illi, qui dimittunt prædicare, si ve audire Verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die iudicii traditores Christi habebuntur.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

XIV. *Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Episcopi Catholici.*

XV. *Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælati, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.*

XVI. *Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus.*

XVII. *Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

XVIII. *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum suum auferre eas.*

XIX. *Speciales orationes applicatæ uni Personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus profunt eidem, quam generales,*

XX. *Conferens eleemosynam Mendicantibus est excommunicatus ipso facto.*

XXI. *Si quis ingreditur Religionem privatam qualemcunque, tam possessionatorum, quam Mendicantium redditur inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.*

XXII. *Sancti instituentes Religiones privatas sic instituendo peccaverunt.*

XXIII. *Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana.*

XXIV.



XXIV. *Monachi tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.* Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

XXV. *Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.*

XXVI. *Oratio præsciti nulli valet.*

XXVII. *Omnia de necessitate absoluta eveniunt.*

XXVIII. *Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honorem.*

XXIX. *Universitates, Studia, Collegia, graduationes, & Magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum profunt Ecclesiæ, sicut diabolus.*

XXX. *Excommunicatio Papæ, vel cujuscunque Prælati non est timenda, quia est censura Anti-Christi.*

XXXI. *Peccant fundantes Claustra, & ingredienti sunt viri diabolici.*

XXXII. *Ditare Clerum, est contra regulam Christi.*

XXXIII. *Sylvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt dotando Ecclesiam.*

XXXIV. *Omnes de Ordine Mendicantium, sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam, sunt excommunicati.*

XXXV. *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad*



Sæcul. XV. servandum divina præcepta & per conse-  
 A.C. 1415. quens ad perveniendum ad regna cælorum, ni-  
 si apostataverint ab eisdem.

XXXVI. Papa cum omnibus Clericis  
 suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo-  
 quod possessionem habent, & consentientes eis,  
 omnes videlicet Domini sæculares, & cæteri  
 laici.

XXXVII. Ecclesia Romana est Synago-  
 ga Sathancæ, nec Papa est immediatus &  
 proximus Vicarius Christi & Apostolorum.

XXXVIII. Decretales Epistolæ sunt A-  
 pocryphæ, & seducunt a Christi fide & Cle-  
 rici sunt stulti, qui student iis.

XXXIX. Imperator, & Domini sæcu-  
 lares seducti sunt a Diabolo, ut Ecclesiam  
 dotarent bonis temporalibus.

XL. Electio Papæ a Cardinalibus, per  
 Diabolum est introducta.

XLI. Non est de necessitate salutis, cre-  
 dere Romanam Ecclesiam esse supremam in-  
 ter alias Ecclesias. Error est, si per Ro-  
 manam Ecclesiam intelligatur universalis  
 Ecclesia.

XLII. Fatuum est credere indulgentiis  
 Papæ, & Episcoporum.

XLIII. Juramenta illicita sunt, quæ  
 sunt ad roborandum humanos contractus, &  
 commercia civilia.

XLIV. Augustinus, Benedictus, Bernar-  
 dus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc,  
 quod habuerunt possessiones, & instituerunt,  
 &



*Et intraverunt religiones, Et sic a Papa us-* Sæcul. XV.  
*que ad infimum Religiosum omnes sunt hæ-* A.C. 1415.  
*retici.*

XLV. *Omnes Religiones indifferenter  
 introductæ sunt a Diabolo.*

Absoluta horum quadraginta quin-  
 que Articulorum lectione, Archiepisco-  
 pus Genuensis alios ducentos sexaginta  
 pariter ex Wiclefi libris depromptos per-  
 legere cæpit; Ast, cum posteriores  
 hi articuli Nationi Gallicæ communicati  
 non fuissent, Cardinalis S. Marci eorum  
 lectionem interrupit. Nihilo fecius ta-  
 men & illi in præsentis sessione cum omni-  
 bus, & singulis Wiclefi libris proscripti  
 fuere. Damnabatur quoque illius me-  
 moria, certo enim innotuit, quod in hæ-  
 resi sua pertinax animam efflaverit, de-  
 cretumque fuit, ossa ejus, si a fidelium  
 ossibus discerni possent, exhumanda, at-  
 que in cloacam projicienda esse.

*Vander  
 Hardt tom. 4  
 p. 3. p. 152.  
 156.*

*ibid. p. 156.  
 157.*

§. XXIX.

*Cur Concilium singulas propositiones  
 speciali sua censura non perstrin-  
 xerit?*

Singulos hosce articulos speciali sua cen-  
 sura notare, Synodo haud necessarium  
 visum est; (\*) eoquod jam ab Acade-  
 miis,

*Collect. Ju-  
 dicioꝝ de  
 nov. Error.  
 tom. I. part. 2  
 p. 51. col. I.  
 Spelm. Cons.  
 Brit. to. 2. p.  
 267. & seq.*

(\*) Hoc §. Continuator a quibusdam cre-  
 debatur,



Sæcul. XV. miis, Parisiensi, Anglica, Pragensi, & A.C. 1415.

in quodam Concilio Romano Anno MCCCCXII. celebrato diversis temporibus damnati fuissent; præterquam quod plures Prælati, Theologi, alique Viri doctrinæ fama celeberrimi, quibus Concilii Constantiensis Patres maturum ac serium horum articulorum examen demandarunt, jam publicum suum desuper tulissent suffragium. Porro quamvis plures

*Labh to. II.*  
*p. 2323. Col-*  
*lect. judic.*  
*p. 51. col. 2.*

*Fascicul. to.*  
*I. p. 140.*  
*edit. I. & 2.*  
*p. 280.*

*Vander*  
*Hardt to. 3.*  
*part. 12. &*  
*13.*

*pag. 170.*

*pag. 172.*

*pag. 174.*

Doctores diversarum Nationum de hisce articulis suam sententiam scripto tradiderint, non nisi tamen ejusmodi censuræ in lucem editæ sunt. Prima titulum præsefert: *Theologorum Constantiensium brevis censura XLV. articulorum Wiclefi.* Et secunda sub titulo: *Theologorum Constantiensis Concilii diffusa condemnatio.* &c. In brevi illa censura primus Articul. declaratur *falsus, erroneus, & hæreticus.* Secundus, *hæresin sapiens,* tertius, *hæreticus,* quintus, *falsus & erroneus.* Sextus, *falsus, male sonans, piarum aurium offensivus, necnon simplicium ad obediendum diabolo inductivus.* Septimus, *hæreticus,* & sic de reliquis. In censura vero prolixioribus verbis concepta quoddam reperi-

debatur, tacite voluisse sugillare S. Sedem, quæ pariter in globo, uti dici solet, errores Baji, Quesneli, & aliorum recentiorum hæreticorum errores damnavit.



reperitur discrimen, nam primi tres arti-  
 culi, & quintus ibi declarantur omni-  
 no ut hæretici, sicut & nonnulli alii.  
 Hanc diversitatem judiciorum ac censu-  
 rarum ex modico animorum consensu,  
 qui inter quatuor illarum Nationum Sy-  
 nodales Theologos, & præcipue inter U-  
 niversitatis Parisiensis Deputatos propter  
 Joannis Parvi causam inter se dissiden-  
 tes obversabatur, provenisse conjectu-  
 ra est.

Sæcul. XV.

A.C. 1415.

Collect. ju-  
dic. tom. I.

part. 2. p. 53.

col. 2.

## §. XXX.

*Nationis Germanicæ congregatio.*

Finita Sessione in omnibus Urbis, & *Vander*  
 Constantiensium Ecclesiarum valvis, *Hardt to. 4.*  
 incipiendo a porta, quæ appellatur *p. 137.*  
 Schwitzport, seu porta Helvetica, per  
 quam Papa fuga elapsus est, Joannis cita-  
 tio solemniter affigebatur. Die autem  
 Sabbati, vesperascente coelo, Nationi  
 Germanicæ ad tractandum unionis nego-  
 tium collectæ, quidam Concilii Promotor,  
 Joannes Abundi nomine, proposuit, quod  
 nonnulli promovendæ unionis Ecclesia-  
 sticæ studiosi specialia hanc in rem sug-  
 gererent monita, proin tres Deputatos,  
 Viros cetera prudentes, atque discretos,  
 qui cum illis desuper conferrent, nomina-  
 re consultum fore. Annuit Natio, at-  
 que Gnesnensi & Ripensi Archiepiscopis,  
 nec-



Sæcul. XV. necnon Alberto Episcopo Ratisbonensi  
A.C. 1415. provincia hæc demandata est.

## §. XXXI.

*Tres Cardinales Scaphusia Constantiam reversi.*

Sub idem tempus tres Cardinales, qui Joannem Scapusiam secuti erant, nimirum Raynaldus de Brancaciis, Otto Columna, & Cardinalis Tricaricensis Ne-  
 pos Pontificis, Constantiam reversi sunt. Eodem quoque die plurimi Officiales Pontificii Papam Friburgum comitati redierunt, Domini sui exauctorationem proximius instare suspicati.

## §. XXXII.

*Dux Austriae Cæsari reconciliatus.*

*Reichental  
 ad fol. 20.*

*Nauclev. ge-  
 ner. 48.  
 p. 440.*

Postera die quinta Maji Nationum Deputati conventum agebant, ob reconciliationem Friderici Ducis Austriae cum Sigismundo Imperatore celeberrimum. Intererant circiter quadraginta Archiepiscopi, atque Episcopi, plurimi Abbates, & Doctores, necnon plusquam viginti Oratores. Postquam Imperator, cujus mandato convocati erant, hujus conventus causam exposuisset, simulque se, quo minus pacem Austriae Duci daret, juramenti religione præpeditum asseruisset,



ruiſſet, eo quod ſe nunquam eidem pacem Sæcul. XV.  
 vel inducias conſeſſurum jurata fide ſpo- A.C. 1415.  
 pondiſſet, Deputati Sigismundo reſpon-  
 derunt, non agi de pace ex æquo, ſeu in-  
 ter pares conſicienda, ſed de venia Va-  
 fallo, & captivo petenti concedenda, nul-  
 latenus ergo factò tam generoſo juramen-  
 ti fidem violari. Imperatore horum conſi-  
 liis acquieſcente, illico quatuor nominan-  
 tur Prælati, qui Ducem Auſtriæ adirent,  
 illumque in conſpectum Cæſaris adduce-  
 rent. Ingreditur Fridericus conventum,  
 medius inter Ludovicum de Bavaria, &  
 Burgravium Norimbergensem, quorum  
 alter alterius manum ſtringebat. Simu-  
 lac Sigismundi conſpectum ſubirent, in  
 genua procidunt, & Norimbergæ Burgra-  
 vius Auſtriæ Ducis Nepos in hæc verba  
 perorat : „ Avunculus meus Fridericus  
 „ Auſtriæ Dux hic præſens me rogavit,  
 „ ut Cæſari ob læſæ Majestatis crimen,  
 „ Concilio autem ob innumera contra  
 „ Clericos ac laicos, Monasteria, Viduas,  
 „ atque Orphanos patrata ſcelera, pro  
 „ eo ſupplicarem, veniamque peterem;  
 „ Idem Dux, ſe ſuaque omnia, ditiones  
 „ & bona poteſtati, ac clementiæ Cæſa-  
 „ reæ Majestatis ſuæ ſubjicit, atque tra-  
 „ dit, necnon pollicetur, ſe Joannem  
 „ Conſtantiam reducturum, dummodo  
 „ Friderici Ducis honori cautum eſſet;  
 „ rogat etiam, ne alteſato huic Pontifici,  
 „ ſuis-



Sæcul. XV., suisque Ministris in eorum personis, aut  
 A.C. 1415. „ bonis ulla inferatur violentia. „ Ab-  
 soluta hac oratione ipse Dux Austriæ  
 propius accedens, ad pedes Cæsaris in  
 genua prostratus veniam petiit, cuncta-  
 que a Burgravio Norimbergensi Nepote  
 suo proposita rata habuit, complicatis  
 manibus promittens, se nunquam, neque  
 per se, neque per alium quicquam adver-  
 sus Cæsaream Majestatem attentaturum.  
 Imperator intimo pietatis sensu commo-  
 tus, data dextera supplicansem levavit,  
 eique petitam gratiam indulisit.

Eodem die post meridiem, Fridericus  
 iterato in alia quadam Congregatione  
 comparuit, & publice legit instrumen-  
 tum, in quo declarat, quod seipsum, ur-  
 besque suas, atque arces tam in Suevia,  
 Alsatia, Brisgovia, Tiroli, quam alibi si-  
 tas in manus Imperatoris tradat, ut is de  
 illis pro suo arbitrio disponderet. Deni-  
 que spondet, se Joannem suæ Majestatis  
 manibus consignaturum, necnon interim,  
 donec Imperator omnium ditionum ple-  
 nam haberet possessionem, obsidem per-  
 mansurum, sique vel in minimo contra-  
 venisse argueretur, declarat, omnia sua  
 bona ad Imperatorem devolutum iri, ut-  
 que promissum firmissimum esset, Norimber-  
 gensem Burgravium, & Bavariæ Ducem  
 vades constitui. Sub idem tempus Fri-  
 dericus omnibus suis Gubernatoribus,  
 atque



atque Præfectis præcepit, Sigismundo Sæcul. XV.  
 juramentum fidelitatis præstarent; unde A. C. 1415.  
 Imperator missis copiis ditiones hujus Ducis in fidem suam recepit. Solos Helvetios sibi obluctantes expertus est, qui bello parta sibi vendicare allaborabant. Ex his tamen Urienses spoliis hujus Ducis pagum suum ampliari nolebant. Nec minori contentione opus erat, ut ea, quæ Fridericus in Tirolis possederat, Imperator sibi subjiceret; Nam Ernestus ab Austria frater ejus natu major a Tirolensibus in auxilium vocatus, adversus Imperatorem Comitatum hunc propugnavit, ejusque Deputatis respondit: redeant, unde venerunt; jam satis divitiarum Sigismundus ex fratris se spoliis corrasit, proin justum est, ut ei saltem aliqua supersint. Cum vero Imperator Synodi negotiis magis occuparetur, nil ultra moliri voluit.

## §. XXXIII.

*Duo Episcopi cum Burgravio Friburgum ablegati, Pontificem reducturi.*

Nullum non movebant lapidem Synodi *Vander*  
 Patres, ut Joannem Constantiam re- *Hardt to. 4.*  
 dire compellerent. Ablegant ergo Fri- *p. 163.*  
 burgum Bisuntinum, & Rigensem Archiepiscopis-



Sæcul. XV. A.C. 1415. chiepis copos, ut Pontificem ad reditum in-  
 ducerent. Mittit quoque Imperator pro  
 parte sua Norimbergæ Burgravium tre-  
 centis militibus stipatum. Dum Fribur-  
 gum veniunt, Pontificem jamjam, Ducis  
 Austriaci opera, captivum reperiunt; ni-  
 hilominus tamen omnes urbis aditus, ne  
 fuga elaberetur, valido custode muniri  
 jubent. Prælati ergo Papam adeunt,  
 suadentque, ut cum illis, utpote citatus,  
 ad Synodum rediret, causam suam pu-  
 blice in nona Sessione defensurus. Joan-  
 nes, quamvis hi duo Prælati ex impro-  
 viso advenissent, nihilo tamen commotum  
 simulans animum, vultu sereno eos ex-  
 cipit, respondens, se Constantiam ire  
 paratum, nihilque intimius animum ejus  
 torquere, quam quod perniciose susurro-  
 num consilia secutus, a Synodo discessis-  
 set. Ast ubi Burgravium Norimbergen-  
 sem trecentis armatis cinctum, & Cæ-  
 saris jussu adesse conspexit, seque non ho-  
 norifica, nec ea, quæ summos Princi-  
 pes decet, custodia detineri animadver-  
 tit, parumper conterritus hæsit, magis  
 tamen concidebat animo, cum videret,  
 se non Constantiam, sed alium in lo-  
 cum deduci.



## §. XXXIV.

Sæcul. XV.  
A C 1415.

*Commissarii ad pacem Polonos inter  
& Teutonicos stabiliendam deno-  
minati.*

Patrum Constantiensium cura etiam cir-  
ca alia occupabatur negotia. Dissi-  
dia quippe Teutonicos inter, & Polonos,  
eorumque vicinos obversantia non pa-  
rum Synodi Prælatos fatigabant. Ad hujus  
itaque causæ discussionem nominantur  
Commissarii. Ladislaus enim Jagello  
Poloniæ Rex, & Alexander Witholdus  
Magnus Lithuaniae Dux ad universos  
Christi fideles dabant Epistolas, conque-  
sti, quod Equites illi, spretis omnibus nu-  
peræ pacis conditionibus, continuis ve-  
xationibus Polonos premerent. Sigis-  
mundus quidem ex eo tempore, quo ad  
Imperii solium euectus fuerat, inter Equi-  
tes & Polonos conciliandæ pacis aucto-  
rem se interponebat, factæque sunt indu-  
ciæ, imo & juramento firmatæ, attamen  
Equites pactam fidem fregerunt primi,  
fatis ejusmodi perfidiis assueti. Ergo  
compulsi erant Ladislaus & Witholdus  
ad auctoritatem Concilii recurrere. Nec  
tamen tunc temporis opportunius adhi-  
beri poterat remedium, quam quod Car-  
dinalis Zabarella, & ex qualibet Natione  
duo nominarentur Deputati, ut hæc  
*Hist. Eccles. Tom. XXVI.* D *dissi-*

*Vander  
Hardt to. 2o  
p. 170.*



Sæcul. XV. diffidia ad examen vocarent, quæ tamen  
 A.C. 1415. nonnisi longo ex post tempore sopita fuere.

## §. XXXV.

*Sessio nona.*

*Lab. Conc.* Die decima tertia Maji celebrata est  
*tom. 12. p. 52.* Sessio nona. Post Missam solemnem, sermonem, precesque consuetas, Benedictus Gentianus Benedictinus, legit Universitatis epistolam ad Synodum & Imperatorem directam, in qua eos ad unionis negotium, insuperhabita Pontificis fuga, strenue prosequendum adhortatur. Absoluta hac lectione Antonius de Piro, & Joannes de Scribanis Concilii Promotores assurgebant, horumque primus verba faciens, postulabat, ut ex eo, quod Joannes Papa vocatus, unacum suis fautoribus nec per se nec per alios comparuisset, adversus eum judiciaria institueretur actio, simulque ad instituenda iudicii acta nominarentur Commissarii; insuper proposuit, Patres legum necessitate obstringi, ut Papam ab omnibus Pontificatus sui functionibus suspensum declararent, si iterato ad valvas Ecclesiæ more consueto citatus fuisset. Ad hæc Cardinalis Florentinus assurgens dixit, Papam ad quosdam Purpuratos misisse cessionis mandatum, eoque ex illis tres ablegasse Procuratores nomine suo coram



ram Synodo comparituros, atque ad ac- Sæcul. XV.  
A.C. 1415.  
cusationum capita responsuros, scilicet  
Petrum de Alliaco Cardinalem Camera-  
censem, Guilielmum Cardinalem S. Marci,  
& se Cardinalem Florentinum. Ast tam  
a se, quam a suis Collegis hanc provin-  
ciam esse recusatam, ideoque Papam ad  
subeundum hoc negotium illos dato  
Brevi adhortatum fuisse, hoc tamen in-  
superhabito, cum ceteri duo Pontificios  
Procuratores agere renuissent, nec se hoc  
munus suscipere velle. Ejusdem etiam  
sententiæ erat Cardinalis S. Marci, Car-  
dinalis vero Cameracensis declaratio, cum  
absens esset, ignorabatur.

## §. XXXVI.

*Joannis mandatum a Synodo  
rejeclum.*

Post hæc Promotores Concilii, quan-  
tum in ipsis erat, exposito cessionis  
mandato obluctati sunt, declarantes, Pa-  
pam, cum de citatione personali agere-  
tur, per se ipsum, non vero per Procura-  
tores comparere teneri, certum quo-  
que esse, Joannem, eoquod ejusmodi  
Procuratores nominasset, citationis fa-  
ctæ notitiam habuisse, proin illum contu-  
macem esse, satis comprobari.



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

§. XXXVII.

*Commissarii ad formanda iudicii acta  
dati.*

Igitur duo Commissarii & quinque Prælati Pontificem ternis vicibus ad valvas Ecclesiæ citare jubentur, cum vero nemo compareret, erecto citationis factæ instrumento publico, viginti tres nominantur Commissarii, qui testes audirent, exceptisque eorum juramentis, tandem ad conficienda iudicii acta procederent.

§. XXXVIII.

*Bulla cessionis a Gregorio Papa ad  
Synodum missa.*

Citatione facta, quantocius Imperator convocatis Nationum Deputatis exhibuit epistolam Caroli de Malatestis, Ariminensis Toparchæ, die vigesima sexta Aprilis datam, & Nationibus inscriptam, cui adjecta erat Gregorii XII. Bulla, qua Pontifex iste Nobili huic Viro potestatem concessit, suo nomine Papatum dimittendi, & Constantiensis Concilii placitis adherendi. Hæc Bulla directæ erat ad Cardinalem Ragusinum, necnon ad Patriarcham Constantinopolitanum, Archiepiscopum Trevirensis, Electorem Palatinum, necnon ad Carolum de Malatestis, cui



cui Papa insuper delegavit plenam potestatem hoc Concilium tanquam legitimum agnoscendi, & ut Oecumenicum declarandi, non quidem in quantum esset a Balthasare Cossa, qui se Joannem XXIII. nominari facit, sed ab Imperatore convocatum(\*) quibus hanc etiam subjecit conditionem, ut idem Balthasar in Synodo Præsidis vices non ageret, imo nequidem præsens adesset. Quibus sub conditionibus, & non aliis plenam illis ea omnia exequendi concessit auctoritatem, quæ ad promovendam unionem expedire judicassent. Imperator hanc Bullam Deputatorum examini reliquit, eo fine, ut si forte vitiosa, vel minus sufficiens foret, eam Carolo de Malatestis secundum Synodi judicium corrigendam remittere posset.

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

§. XXXIX.

*Conventus Commissariorum ad examinandos testes contra Joannem.*

Eadem die Cardinales, quibus a Synodo datum erat negotium, ut testium

---

(\*) In Bulla Gregorii hæc verba adjecta leguntur: *VICE NOSTRA* ad prædictorum effectum convocandi & authorizandi generale Concilium; *Vide Acta Conc. Const. Sessione XIV.*



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

ftium depositiones in caussa Joannis Pape audirent, hunc in finem congressi sunt. Ex tredecim testibus, quos Curfor Apostolicus hora secunda post meridiem in Conventu FF. Minorum adesse iussit, nonnisi decem comparuere, quos inter Episcopi, Abbates, Priores, & Doctores numerabantur. Præstito testium juramento Commissarii eorum depositiones ad Concilium referre festinabant.

## §. XL.

*Sessio decima. Joannes contumax ac suspensus declaratus.*

Solemnibus de more peractis Sessio decima celebrata est die decima quarta Maji. Sacris operatus est Episcopus S. Floriaci, Præsidis vero vices egit Vivariensis Cardinalis. Ad iteratas Promotorum preces Joannem, ejusque sequaces tanquam contumaces declarare Synodus decrevit, eoquod post citationem, & trinam vocationem comparere detrectaverint. Commissarii hoc decretum e vestigio exequuntur, queis duo adhuc Cardinales, nimirum S. Mariæ in Cosmedin, & Florentinus adjunguntur. Dein testium depositiones ad Synodum referunt, proponente Cardinale S. Marci, declarantque, quod ex apertissimis testimoniis satis probatum haberent, Joannem

nem



nem fuisse bonorum Ecclesiæ dilapidato- Sæcul. XV.  
 rem, simoniacum, scandalosum, fideique A.C. 1415.  
 perturbatorem, hinc ut talem ab admi-  
 nistratione Ecclesiæ tam quoad spiritua-  
 lia, quam temporalia suspensum, esse  
 pronuntiandum. Synodus requirenti-  
 bus Promotore, & Nationum Deputatis,  
 Joannem administratione bonorum Ec-  
 clesiæ exutum declaravit, prohibuitque,  
 ne ei deinceps obedientia præstetur, si-  
 bique reservatam voluit ad plenam ejus  
 exauctorationem procedendi facultatem.  
 Hæc suspensionis sententia a Patriarcha  
 Antiocheno lecta ab omnibus Concilii  
 Patribus approbata fuit. Illius tenorem  
 impræsentiarum exhibemus.

## §. XLI.

*Sententia suspensionis adversus  
Joannem XXIII.*

*In Nomine S. & individuae Trinitatis, Pa-  
 tris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quia  
 nobis legitime constat, Joannem XXIII.  
 Papam à tempore, quo fuit assumptus ad  
 Papatum usque nunc Papatum ipsum &  
 politiam Ecclesiæ in scandalum notorium  
 male administrasse, vitæque sua damnabili,  
 ejusque nefandis moribus, populis exem-  
 plum vitæ malæ præbuisse, & insuper Ec-  
 clesias cathedrales, Monasteria, Prioratus  
 conventuales, & cætera beneficia Ecclesia-  
 stica*



Secul. XV.  
A.C. 1415.

stica pretio appetiatis simoniace notorie distribuisse, bonaque & jura Romanæ Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum dilapidasse, quodque charitative monitus a præmissis desistere noluit, sed continuo perseveravit Ecclesiam Dei notorie scandalizando. Ea propter per hanc nostram sententiam pronuntiamus, decernimus, ac declaramus dictum Dominum Joannem Papam ab omni administratione Papali, spirituali, & temporali, ex causis præmissis fore suspendendum, & suspendimus, eique administrationem ipsam interdiciamus, quocirca tenore præsentium districte inhibemus, ne quisquam cujuscunque status, conditionis, gradus seu dignitatis, etiamsi Regalis, Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis seu alterius cujuscunque Ecclesiasticæ vel sæcularis existat, de cætero directe vel indirecte obediat, decernentes contra facientes contrarium, tanquam contra fautores dicti schismatis & Joannis Papæ, ad pœnas Juris & alias . . . fore procedendum.

## §. XLII.

*Error de Communionem sub utraque specie a Jacobello in Bohemia divulgatus.*

*Harpsfeld  
Hist. Wiclef.  
lib. 14.*

In hac eadem Sessione, cum Episcopus Littomisliensis in Moravia doctrinam de Communionem sub utraque specie Synodi



nodi Patribus denunciasset, hæc caussa Sæcul. XV.  
A.C. 1415.  
 examinari cæpta est. Quidam nomine  
 Petrus Dresdensis, ob hæresin Walden-  
 sium Saxonia expulsus, Pragam confugit,  
 ibidem Pædagogum acturus. Hic Jaco-  
 bum Misniensem, alias Jacobellum di-  
 ctum, Parochiæ ad S. Michaelem Pleba-  
 num excitavit, ut usum calicis introdu-  
 ceret. Nam cum Petrus Dresdensis qua-  
 dam die Jacobellum inviseret, mirari se,  
 dixit, virum adeo doctum, illum tamen  
 errorem, qui in Ecclesiam circa calicis  
 oblationem irrepsisset, non animadvertisse,  
 nec ad illum corrigendum hucusque ani-  
 mum adjecisse. Jacobellus Hæretici hu-  
 jus sermonibus captus, usum calicis o-  
 mnino introducere statuit. Quapropter  
 adversus avitam Ecclesiæ consuetudinem  
 publicas Theses affigi jubet, in eandem  
 sententiam e suggestu perorat, atque ad-  
 stipulante suorum Collegarum quopiam,  
 Simone Rzepenski nomine, vix non uni-  
 versum populum ad Eucharistiam sub  
 duplici specie sumendam inducit; Clero  
 autem novitati huic acriter obluçtante,  
 Jacobellus a sua Parochia amotus fuit,  
 qui tamen ad Ecclesiam Parochialem S.  
 Martini admissus, eandem doctrinam  
 spargere non destitit. Prodiere contra  
 eum varia scripta, quibus respondere co-  
 nabatur, tandemque hanc ob caussam  
 magnis in Bohemia excitatis tumultibus,



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

Archiepiscopus Pragensis eum anathemate percussit, nec tamen Jacobellus inde resipiscens, dogma suum ubique prædicare non abhorruit; quocirca Clerus ad Synodi auctoritatem recurrens illum denunciavit.

## §. XLIII.

*Joannis Hussi vindiciæ a Nobilibus Bohemis Synodo porrectæ.*

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 188.*

Joannes Hussus, quamvis hujus novitatis architectus non esset, nihilominus eandem suo quoque calculo approbavit, atque in usum deduxit. Hinc Littomisliensis Episcopus doctrinam hanc tanquam Hussiticæ sectæ surculum, Synodo excutiendam proposuit. Ex altera vero parte Bohemiæ Proceres Epistolam ad Concilium dederunt, in hac eadem Sessione perlectam, in qua Joannis Hussi detentionem, ceu æquitati ac bonæ fidei adversam, acriter questi sunt, simulque Bohemiam a quibusdam rumoribus, ad infamiam Regni circa Eucharistiam divulgatis, vindicare satagebant; nam fama exhibat, in hoc regno Sanguinem Christi Domini in Calicibus non consecratis circumferri, a futoribus fidelium confessiones excipi, ab eisque ipsum Eucharistiæ Sacramentum administrari. Cumque in hac Epistola Littomisliensem



sem Episcopum, suppresso licet nomine, Sæcul. XV.  
A.C. 1415.  
 fugillarent, & tanquam delatorem, atque  
 infimæ plebeculæ rumorum captatorem  
 nimis credulum traducerent, hic ad di-  
 luenda sibi objecta spatium concedi po-  
 stulavit; quam ob rem hæc caussa ad a-  
 liam remittebatur sessionem.

§. XLIV.

*Judicii acta contra Joannem  
Papam.*

Post hæc Synodus ad prosequenda judi- Ibid. tom. 4.  
p. 193.  
 cii acta adversus Joannem XXIII. sua  
 studia convertit, quem quidem jam an-  
 tea suspensum, etiam sede sua depositum  
 voluit; unde alii testes audiendi, & Papa  
 pro quarta vice citandus erat, accusatio-  
 num capitibus adversus eum productis  
 responsurus. Verum illo minime com-  
 parente, triginta septem testium jurata  
 audiebantur testimonia, quos inter Epis-  
 copi decem numerati fuere, reliqui o-  
 mnes perinde Viri spectatissimi ac fide  
 dignissimi.

§. XLV.

*Accusationum capita adversus Papam.*

Summa accusationum septuaginta com- Ib. pag.  
196.  
 plectebatur articulos, qui omnes ido-  
 nois testibus probati erant. Ex his ta-  
 men



Sæcul. XV.  
A.C 1415.

men viginti supprimebantur, nonnisi quinquaginta coram univërfo Cœtu perlectis. Quæ vero prætermiffa fuere accusatorum capita, tangebant privata illius crimina. Accufabatur enim, eum Prædecefforis fui Alexandri V. mortem propinato veneno acceleraffe, adulteriis, fornicationibus, inceftibus, omniumque libidinum foeditate contaminatam duxiffe vitam, plura beneficia accepta pecunia vendidiffe, legationem Bononiensem intolerabili tyrannide obiiffe, omnia Religionis, ac pietatis exercitia tanquam profana, vel Paganifmum redolentia contempiffiffe. Illi vero articuli, qui in hac Sefione iterum legebantur, fpeciatim refpiciebant fimoniam, nec non vitam ejus diffolutam, violentas pecuniarum extorfiones, oppreffiones, Patrimonii S. Petri dilapidationes, ejus infidelitatem, & perjuriam. Cuncta ifta scelera erant manifefta, & publica, complurium Archiepifcoporum, Epifcoporum, Præfulum, atque Doctorum testimoniis comprobata: Hinc lata eft fententia: Joannem effe hominem pervicacem, obduratum Peccatorem, atque incorrigibilem fchifmatis fautorem, & ut talem, necnon propter alia plane indignum effe Pontificatu.



## §. XLVI.

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.*Episcopus Littomisliensis auditus.*

**B**iduo post indicta fuit congregatio, in qua Littomisliensis Episcopus audiretur, ad epistolam Nobilium Bohemorum responsurus. Episcoporum quidam nomine Concilii respondit, Joannem Hussum, dum comprehenderetur, nullis publicæ fidei literis munitum fuisse, sed primum eas obtinuisse, postquam jam Romanam vocatus ab Alexandro V. excommunicatus esset; item Hussum esse Hæresiarcham, suamque pravam doctrinam, quamprimum Constantiam venisset, concionibus suis disseminasse, ideoque jure merito carceri mancipatum fuisse.

## §. XLVII.

*Littomisliensis Episcopi responsum.*

**H**is subjunxit Littomisliensis Episcopus, *Vander* exploratam rem esse, quod Novato- *Hardt to. 4.*  
res in Bohemia Laicis communionem *p. 208.*  
sub utraque specie administrarent, atque docerent, hunc communicandi modum omnino necessarium fore, sique Clerici se se opponerent, sacrilegii reos esse habendos; ajebat itidem, omnino sibi constare, quod Sanguis Christi Domini in vasibus non consecratis ad infirmos deferretur,



Sæcul. XV.

A.C. 1415.

retur, simulque a viris fide dignis accepisse se, quamdam hujus sectæ foeminam sibimetipsi sacram hostiam porrexisse, atque dixisse, quod probi Laici absolutio magis valida esset, quam absolutio mali Sacerdotis. Negabat tamen Episcopus, se unquam affirmasse, quod futores confessiones excepissent, aut Sacramenta administrassent, timendum tamen, ne & hoc temerarie præsumerent, nisi Synodus de remedio provideat. Ad hæc Bohemis aliquam dilationem ad respondendum petentibus, annuere Patres.

## §. XLVIII.

*Joannes Papa ad Ratolfi Cellam ductus.*

*Niem. in vita  
Joan.  
XXIII.*

Eodem tempore nunciatum est, Joannem, cum ad Synodum venire recusasset, Ratolfi Cellam, Sueviæ oppidum tertio, aut amplius lapide Constantia distans deductum fuisse. Hac de re Norimbergæ Burgravius Synodum certiorum fecit; unde postera die Astensis, Augustanus, & Tolonensis Episcopi, cum duobus cujuslibet Nationis Doctoribus eo ablegati sunt, ut illius custodiæ præessent, ac cum eo versarentur. Postquam in dicto castro custodiæ traditus fuisset, duodecim seu tredecim Cardinales eadem accusationum capita superius allata jurejurando



jurando firmarunt, & Cardinalis ab Ur-  
 sinis, qui & ipse testis erat, a ceteris jura-  
 mentum excepit; nomina horum sunt:  
 Cardinales, Vivariensis, Venetus, Pifa-  
 nus, Placentinus, S. Nicolai, de Salutiis,  
 S. Adriani, Florentinus, S. Sufannæ, Ca-  
 meracensis, & Laudensis, omisso Cardi-  
 nale S. Marci, qui ob adversam valetudi-  
 nem audiri haud poterat.

Sæcul. XV.

A. C. 1415.

## §. XLIX.

*Nationum Congregatio ad audiendos  
 Bohemice Deputatos.*

Altera die ad Bohemorum caussam re-  
 diere Patres. Bohemice Nobiles, ut  
 responso nomine Concilii sibi dato satis-  
 facerent, Nationum Deputatis in unum  
 congregatis libellum porrigunt, in quo as-  
 serunt, Joannem Hussum Cæsareis se-  
 curitatis literis jam a decima quinta Ju-  
 lii prioris anni munitum fuisse, eundem-  
 que non nisi ob prævisa vitæ suæ discrimina  
 Romæ non comparuisse, proin omni culpa  
 vacare, falsoque narrari, eum Constantiæ  
 ad populum e suggestu dixisse, cum nec ad  
 momentum hospitio suo, in quo moratus  
 fuisset, excesserit. Postea schedam a Joanne  
 Hussu prima die Septembris anno Domini  
 millesimo quadringentesimo undecimo  
 scriptam producunt, in qua Hussus omnibus  
 viribus

Vander

Hardt to. 4.

p. 211.

con-



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

contestatur, injuste se accusari, ac si docuisset, substantiam panis remanere in Eucharistia; Corpus Christi, dum elevatur, in hostia adesse, abesse autem post elevationem; Sacerdotem in peccato mortali constitutum non consecrare; posse Dominos bona temporalia Ecclesiis diripere, illisque decimas abnegare, indulgentias inanes esse; Clericos libere occidi posse, aliosque nonnullos errores. Cum vero Synodus ad libellum non respondisset, Bohemi ultima die Maji iteratas offerebant literas, quibus Hussum pluries declarasse affirmabant, semper a mente sua longe abfuisse, vel ullum errorem docere, aut quovis pacto a veritatis semita aberrare; asserebant pariter, propositiones ex Hussi operibus decerptas ab ejusdem adversariis perperam truncatas, soloque Virum opprimendi studio adulteratas fuisse; denique rogabant, ut Synodus Hussum ad sui defensionem e carcere liberum dimitteret, sui loco cautionem offerentes. Adjectum quoque erat supplici huic libello Episcopi Nazareni testimonium; Nihilominus hi incassum laborabant.

§. L.

*Suspensionis sententia Joanni Papæ per  
Synodi Deputatos denunciata.*

*Niem. apud  
Vander  
Hard tom. 2.  
pag. 406.*

**M**isit Concilium ad Cellam quosdam  
Depu-



Deputatos, qui Joanni suspensionem a Pontificatu suo, necnon hujus sententiæ causas nunciarent. Acerbo valde animo hunc nuncium tulit Joannes; hinc sua crimina deplorans, haud vulgaria poenitentiae ac submissionis signa edidit. Mox vero Deputati ab eo postulant, unacum supplicationum tabulis sigillum, & anulum Piscatoris redderet; annuit Pontifex nihil hæsitans, seque eorum custodiæ cum magna demissione tradidit.

Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

## §. LI.

*Hieronymus Pragensis coram Concilio.*

Triduo ex post die vigesima tertia Maji Hieronymus Pragensis vinculis constrictus Constantiam venit, sicque ligatus Electori Palatino sistitur, qui ipse eum ad ædem Franciscanorum duxit, ubi ad illum examinandum habita est congregatio. Interrogatus, cur fugerit, ac comparere detrectaverit? respondit, se ad fugam compulsus fuisse, eo quod sibi publica securitatis fides denegaretur, & citationis edictum omnino ignorasset. Postea Gersonius, cui Hieronymus de Praga jam aliunde notus erat, in memoriam revocat, eidemque magnos, quos olim in Universitate suis quæstionibus scholasticis excitasset, tumultus exprobrat. Alius vero quidam Coloniensis Doctor

Vander  
Hardt to. 4.  
p. 215.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI. E Hie-*



Sæcul. XV. Hieronymo objicit, ab ipso in hac Academia complures erroneas sententias fuisse edoctas. Itemque Heidelbergensis Doctor illum errores contra fidem SS. Trinitatis tradidisse testatur. Hieronymus ad omnia ista accusationum capita satis modeste respondit, aliisque exclamantibus: *Comburatur, ipse reposuit, si vobis placet mors mea, in nomine Domini, ad quæ Salisburgensis Episcopus: Non Hieronyme, quia scriptum est, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.*

## §. LII.

*Carceri inclusus.*

Absolutis hisce quæstionibus Urbis Magistratui traditur, in Turrim Ecclesiæ D. Pauli deducendus. Ubi gravi morbo decumbens, usque ad obitus sui diem, scilicet, usque ad Mensẽ Majum anni sequentis captivus detinebatur.

## §. LIII.

*Nationum Conventus in causa Joannis Papæ.*

*Ibid. p. 219.* Convenerant die vigesima quarta Maji Nationum Deputati super materiis deliberaturi, quæ in undecima Sessione altera die celebranda agerentur. In hoc coetu Commissarii testium, quos exceperant,



rant, depositiones, & jurata accusationum capita proferunt; quosdam tamen articulos, eosque acerbiores suppressere, nullamque de illis mentionem facere constituebant, saltem illos nunquam in Synodo perlectos fuisse constat, unde conjectura est, ita a Nationum Deputatis communi consilio fuisse sancitum. Posthæc Henricus de Piro Synodi Promotor quatuor Joannis Bullas produxit, ut ex illis accusationem contra eum factam comprobaret, crimini enim dabatur, Joannem Cypri Regi commendam D. Joannis Hierosolymitani Equitum unacum spoliis Prædecessoris vendidisse in favorem quinque annorum pueri, qui alteri Regis filius spurcius erat. Huic eidem parvulo nomine Aloysio, ut non obstante ejus infantia, spretisque contrariis hujus Religionis constitutionibus, Professionem emitteret, veniam dedisse, nec hanc datam licentiam revocasse, nisi sub hisce conditionibus, ut Religio Equestris Regi Cyprio nummos pro Commenda solutos restitueret, Pontifici vero sex millia florenorum in parata pecunia numeraret, atque præter quoddam Officium, ex quo hic bis mille florenos perciperet, insuper annuam duorum millium florenorum pensionem huic Notho assignaret, necnon præmissas hasce conditiones ad amissim executioni mandaret,

E a ne

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.



Sæcul. XV. nequicquam obluctantibus hujus Ordinis  
A.C. 1415. Religiosis Equitibus. Cuncta ista accu-  
 sationum acta sigillo muniebantur, ad un-  
 decimam Synodi sessionem deferenda.

## §. LIV.

*Sessio XI. Accusationum articuli con-  
tra Papam approbati.*

*Labbe Conc.* **P**ostera die vigesima quinta Maji habi-  
*tom. 12. p. 67.* ta est Sessio ordine undecima; in qua  
 Synodi Procuratores accusationum ca-  
 pita adversus Joannem deposita, quæ  
 potissimum manifesta, aut testibus com-  
 probata continebant scelera, in scripturam  
 redacta porrexerunt Concilio. Hos ar-  
 ticulos jam antea recognitos, Posnani-  
 sis Episcopus suo ordine prælegit omnes,  
 exceptis iis, quos ob honestatem suppri-  
 mendos censebant, & quolibet capite si-  
 gillatim recitato, alias testium depositio-  
 nes, eorumque dignitates, aut status con-  
 ditiones, suppressis tamen illorum no-  
 minibus, adjecit. Cunctos hosce articu-  
 los approbavit Synodus; quapropter  
 postmodum quinque nominavit Cardina-  
 les, nimirum Ursinum, de Chalanto, de  
 Salutiis, Cameracensem, & Florentinum,  
 qui Ratolfi Cellam ituri, de actis hu-  
 jus Sessionis, & de firmo exauctorationis  
 proposito Joannem certiozem redderent.  
 Cumque Synodus Papam ex eo tempore,  
 re,



re, quo illum exauctoraverat, haud ultra Sæcul. XV.  
 ut Pontificem veneraretur, ex qualibet A. C. 1415.  
 Natione Protonotarium, & Notarium no-  
 minabat, qui *nomine Concilii* acta literis  
 mandarent. Legit postea Benedictus  
 Gentianus Universitatis Parisiensis epi-  
 stolam, quibus peractis Sessio soluta est.

## §. LV.

*Plena submissio a Joanne promissa.*

Sequenti die Synodales Deputati Cel-  
 lam ad Joannem proficiscuntur, nulla-  
 tenus pedum osculo illum venerantes,  
 eo quod dignitatis suæ insignia deposuis-  
 set; nihilominus proximius adeuntes,  
 manum ejus ac genas osculati sunt. Ex-  
 positis demum accusationum momentis  
 adversus ipsum productis interrogabant,  
 utrum judiciariæ actionis executioni con-  
 tradicere, hasque accusationes elidere  
 vellet? ipse autem, se decretis ac Con-  
 cilio decisionibus ex asse obtemperaturum  
 respondit. Cum vero tristitia animum  
 ejus opprimens, vocem intercluderet,  
 scriptam Deputatis tradidit schedam,  
 quam secum Constantiam deferrent, se-  
 quentibus conceptam verbis: „Seatem-  
 „ pore Concilii Pisani usque ad præsen-  
 „ tem diem pro unione Ecclesiæ reddem-  
 „ da omnem impendisse operam; da-  
 „ mnare itidem ex intimo cordis sui  
 E 3 „ turpem



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

„ turpem suum a Synodo recessum, nec  
 „ se contra accusationum capita ullam  
 „ defensionem oppositurum, sed omnino  
 „ fidem priori die datam, suaque manu  
 „ signatam liberaturum, atque obtempe-  
 „ raturum in omnibus Concilii judicio,  
 „ nam venerari se Constantiensem Sy-  
 „ nodum tanquam sanctissimam, atque  
 „ erroris nesciam, sique sacræ huic Sy-  
 „ nodo videretur, paratum se esse, Pa-  
 „ patui renunciare, id unicum tamen  
 „ rogare, ut Concilium in hac sua sen-  
 „ tentia, quanto honestius fieri posset,  
 „ honori, Personæ, & statui suo confu-  
 „ lere velit, salvis tamen Ecclesiæ juribus.

## §. LVI.

*Alii adhuc Deputati ad Joannem.*

**I**psa die vigesima sexta Maji Cardinales Deputati Constantiam rediere, atque in Congregatione postridie habita Synodi Patres de vera Joannis submissione certiores fecerunt. Hac relatione percepta, duo Episcopi, totidemque Abbates tanquam Commissarii unacum Pronotariis Cellam ablegantur, partim condemnationis momenta Pontifici, ut ab iis se purgaret, exhibituri, partim eidem nunciaturi, ut Constantiam exauctorationis suæ sententiam ibidem percepturus veniret. Exceptit Joannes hos Com-  
 missa-



missarios eadem quoque animi demissio- Sæcul. XV.  
A.C. 1415.  
ne, decretum tamen damnationis suæ  
legere renuit, inquiring, se Concilium ut  
infallibile venerari, de cetero inhærere se  
scripto, quod nuper Cardinalium mani-  
bus consignasset.

## §. LVII.

*Epistola Joannis ad Imperatorem.*

Præterea Deputatos id tantum rogavit,  
ut ad Imperatorem suam deferrent Vander  
Hardt to. 4.  
p. 259.  
epistolam, qua eandem ab illo, quam prius  
a Concilio postulaverat, gratiam petiit,  
scilicet, ut honori, ac status sui decori  
consulere vellet. Huic epistolæ, licet  
verbis admodum obsequiosis conscripta  
esset, nihilominus quædam inseruit, qui-  
bus Sigismundum jam redarguit, mox  
tamen demulcere studuit, inquiring: „ In  
„ extremis hisce calamitatibus constitu-  
„ tus ultimam in Cæsareæ Majestatis  
„ tuæ patrocínio spem repositam habeo,  
„ itaque impense obsecro, ut facta Papa-  
„ tus abdicatione honori ac saluti meæ  
„ providere digneris. „ Jam antea qui-  
dem decretum fuerat, sententiam die vi-  
gesima septima Maji contra Joannem pro-  
nunciare, quæ tamen, cum necdum omnia  
ad hunc actum fuissent expedita, ad vi-  
gesimam nonam ejusdem Mensis protra-  
hebatur, missis interim Deputatis, qui



Sæcul. XV. eidem significarent, dilatum fuisse judi-  
 A. C. 1415. cium decretorium, ad duos adhuc dies,  
 nec ita rigorosum, prout antea conceptum  
 fuisset, prolatum iri.

## §. LVIII.

*Congregatio de itinere Cæsaris.*

*Ibid. p. 265.* Dein actum est de itinere Imperatoris,  
 Niciam Mense Junio profecturi, qui  
 datis ad Arragoniæ Regem literis eundem  
 rogavit, ut colloquium ad Mensem Ju-  
 lium prorogaret, quandoquidem ob Joan-  
 nis Papæ fugam diutius Constantiæ mo-  
 rari compelleretur. Ast Arragonii re-  
 sponsum, licet vigesima octava Aprilis da-  
 tum, primum sequenti Mense ad Cæsa-  
 rem pervenit. Interim in hac Congre-  
 gatione propositum est, ipsius Synodi ho-  
 norem exigere, ut nonnulli Cardinales  
 Sacræ Cæsareæ Majestati tanquam iti-  
 neris Socii adjungerentur; postea actum  
 est de Concilii Protectore, in absentia Si-  
 gismundi, seligendo. Hoc honore affi-  
 ciendum censebant Patres Electorem Pa-  
 latinum, quia vero is Gregorio Papæ quon-  
 dam adhæserat, Purpurati, instante Ur-  
 sino Cardinale, potius Norimbergæ Bur-  
 gravio hanc spartam esse deferendam  
 existimabant. Quibus sancitis, Vivarien-  
 sis, Cameracensis, de Salutiis, & Florenti-  
 nis nominati sunt, qui Imperatorem com-  
 mitaren-



mitarentur. Cum autem Arragonum Sæcul. XV.  
 Rex dilationi hujus itineris a Sigismun- A C 1415.  
 do petitæ assentiretur, horum Deputato-  
 rum electio in aliud tempus remissa est.  
 Interim tamen pro Sessione sequenti præ-  
 viæ dispositiones factæ fuere.

## §. LIX.

*Sessione duodecima.*

Die vigesima nona Maji celebrata est  
 Sessio numero duodecima. Ubi fa- Labbe Conc.  
 crum solemne de Spiritu Sancto decan- tom. 12. p. 92.  
 tabat Patriarcha Antiochenus, præsentibus  
 Imperatore, Vivariensi Cardinale,  
 qui & Sessioni præfuit, omnibusque Prin-  
 cipibus, ceteris Cardinalibus atque Le-  
 gatis. Prælecto S. Evangelio ex cap.  
 XII. S. Joannis: *Nunc judicium est mundi,*  
*nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras,*  
 Episcopus Vaurensis, qui posterioris De-  
 putationis ad Joannem socius fuit, ea, quæ  
 antefatus Papa ipsi in responsis dederat,  
 Synodo retulit.

## §. LX.

*Sententia depositionis in Joannem  
 promulgata.*

Posthæc Atrebatensis Episcopus, requi- Bzov. an.  
 rente Synodi Promotore, depositionis 1415.  
 decretum recitavit, his verbis conceptum. Conc. gener.  
to. 12. p. 95.



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

*Sacrosancta Synodus . . . pronuntiat, de-  
cernit, & declarat, recessum per Joannem  
XXIII. a Concilio clandestine & de no-  
cte in habitu dissimulato & indecenti factum,  
fuisse scandalosum, pacis & unionis ipsius  
Ecclesie turbativum, & schismatis nutri-  
tivum, a voto, promissione & juramento di-  
cti Papæ deviativum, ipsumque Joannem Si-  
moniacum notorium, bonorumque nedum  
Romane, sed aliarum Ecclesiarum dilapida-  
torem, malumque spiritualium & tempora-  
lium Ecclesie administratorem fuisse, suis  
detestabilibus & inhonestis vita & moribus  
Ecclesiam Dei, & populum Christianum  
scandalizantem . . . . seque ex hoc notorie  
incorrigibilem reddidisse, ipsumque propter  
præmissa & alia crimina tanquam indignum  
S. Synodus amovet, privat, & deponit, u-  
niversos & singulos Christicolas ab ejus obe-  
dientia & fidelitate & juramento absolutos  
declarando. Inhibendo insuper, ne eundem  
de cætero in Papam nominent, aut illi tan-  
quam Papæ adhæreant, seu quoquo modo o-  
bediant. Porro idem Joannes nomine  
Concilii condemnatus est, ad standum &  
morandum in aliquo loco honesto sub custo-  
dia Sigismundi, quamdiu S. Concilio pro  
bono unionis Ecclesie videbitur necessarium.  
Alias pœnas, quæ pro suis criminibus &  
excessibus inferri deberent juxta canonicas  
sanctiones, dictum Concilium arbitrio suo re-  
servat infligendas, secundum quod rigor ju-  
stitiæ,*



*sticia, vel misericordiae ratio suadebit.* Hanc Sæcul. XV.  
sententiam, nemine quicquam reclamante, A. C. 1415.  
Vivariensis Cardinalis approbavit, omnibus Synodi Patribus una voce conclamantibus: *Placet.* Confractum postea est Papale sigillum, gentilitium illius stema deletum, & quinque Cardinales deputati, qui Joanni depositionis suæ nuncium deferrent.

## §. LXI.

*Concilio decretum de electione novi Pontificis.*

Post hæc Synodus per aliud decretum Ibid. p. 96.  
in eadem Sessione conditum de electione novi Pontificis deliberationem habuit, sanxitque, inhibendum prorsus esse, ne Cardinales, si sedem quovis modo vacare contingeret, absque Synodi consultatione atque consensu ad novi Pontificis electionem ullo pacto procederent, & quidem *sub pœna maledictionis æternæ* tam eligentibus quam electo, eorumque sectatoribus ac tanquam schismatis fautoribus intentata, *non obstantibus quibuscunque juribus, consuetudinibus, & privilegiis quibuscunque, etiam in Conciliis Generalibus concessis, in quantum effectum hujus decreti impedire possent.* Item alio decreto præcepit Synodus, quod nullo unquam tempore reeligatur in Papam Dominus Balthasar



Sæcul. XV. *thasar Cossa nuper Joannes XXIII, nec An-*  
A.C. 1415. *gelus de Corario Gregorius XII, nec Pe-*  
*trus de Luna Benedictus XIII. in suis obe-*  
*dientiis sic nominati. Nullusque cujuscun-*  
*que dignitatis vel præminentie, etiamsi Im-*  
*periali, Regali, Cardinalatus aut Pontificali*  
*dignitate præfulgeat, huic decreto contra-*  
*veniat sub iisdem poenis, etiam cum invo-*  
*catione brachii sæcularis. Denique tertium*  
*promulgatum est decretum, quo quatuor*  
*Nationum Judicibus datum est negotium,*  
*ut vocarent Prælatos absentes ad Synodum,*  
*Et punirent non venientes. Altera die, oc-*  
*currente festo Corporis Christi, solemnis*  
*instituta est supplicatio, ut Deo pro tam*  
*felici eventu publicæ redderentur gratiæ.*

## §. LXII.

*Depositionis sententia a Joanne ac-*  
*ceptata.*

**N**ominati fuere Commissarii, qui Joan-  
 ni exauctorationis sententiam per-  
 ferrent. Hic legit eandem, nihil oppo-  
 nens, discessit tamen, ac quid factu opus,  
 per duas circiter horas solus secum deli-  
 beravit; tandem vero eam ratam ha-  
 buit, plenamque submissionem ostendit,  
 juravitque manu pectori applicata, se ab-  
 solute, libere ac sincero animo Papatui  
 renunciare, nec unquam tanquam Papam  
 ultra gessurum se, imo nec ipsum Pontifi-  
 cis



cis nomen amplius acceptaturum, si-  
mulque Crucem Papalem e cubili suo  
amoveri jubet, inquires, se nulla mora i-  
psis quoque præsentibus Pontificia vesti-  
menta, ceteraque omnia Papatus insignia  
deponiturum, dummodo alias vestes, qui-  
bus se indueret, in promptu haberet.

Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

## §. LXIII.

*Joannes Gottlebiam, inde Heidelber-  
gam delatus.*

Absoluta hac deputatione Joannes Cel-  
la ad arcem Gottlebiensem deductus  
est, ubi captivus detinebatur Hussus. Di-  
missi sunt omnes ejus famuli, solo exce-  
pto coquo, & ne horum opera vel ami-  
corum, quorum nonnullos Constantiæ  
numerabat, molitionibus evadere posset,  
Imperator negotium dedit Electori Pala-  
tino, ut illum Heidelbergam transferret,  
quovis tamen officiorum genere decen-  
ter eum haberet.

Niem. apud  
Vander  
Hardt to. 4.  
p. 296.

## §. LXIV.

*Hæc Synodi gesta Gallis haud  
probata.*

Joannis depositionem Synodus encycli-  
cis suis universæ notam fecit Europæ.  
Verum quantumcunque gravibus ratio-  
num momentis suam agendi rationem  
vindi-

Monach.  
S. Dionys.  
Hist. Car. VI



Sæcul. XV. vindicasset, nullatenus tamen ea proba-  
A.C. 1415. batur Gallis; Cum enim Ebroicensis, &  
 Carcassonenſis Episcopi, Benedictus Gen-  
 tianus Monachus S. Dionysii, Guilielmus  
 de Merla Sylvanectensis Decanus, & Ja-  
 cobus De Spais a Concilio ad Carolum  
 VI. deputati, ad alloquium Regis admit-  
 ti peterent, eo obtento, Carolus publice  
 coram Senatu illis dixit: Equidem in  
 Joannis Papæ cessionem consensimus, nec  
 tamen satis mirari possumus, quod Papam  
 pro legitimo habitum tam indigno mo-  
 do deponere attentaveritis. Regi hoc  
 factum displicuisse manifestius apparuit,  
 dum Universitatis Rectorem, ejusque so-  
 cios die XIII. Junii aulam adeuntes, a-  
 cerbius exceperat. Hi enim Regem a-  
 dibant, supplices, ut populum immodicis  
 tributorum, & vectigalium oneribus gra-  
 yatum sublevaret; ubi Ludovicus Aquit-  
 anicus, Delphinus, pari cum Rege in-  
 dignatione commotus, ex Joanne Castel-  
 lonio Doctore, qui ceterorum nomine per-  
 orabat, quæſivit: cujus consilio Univer-  
 sitas talia peteret? Doctor paulo vehe-  
 mentius respondit: secreta, atque Acade-  
 miæ judicia prodere fas non esse. Hoc  
 responso Aquitaniæ Dux ira concitatus,  
 Doctorem carceri tradi jubet, ex quo non  
 nisi ægerrime dimissus est. Tandem eo  
 in libertatem afferto, ad Universitatis De-  
 putatos ajebat: „ Scitote, preces vestras  
 „ exau-



„ exaudiri ex miseratione erga populum, Sæcul. XV.  
 „ atque ex amore Dei, neutiquam vero A.C. 1415.  
 „ ob merita vestra; vobis enim ea, quæ  
 „ tamen conditionis vestræ limites exce-  
 „ dunt, exequendi auctoritatem arroga-  
 „ tis, unde non parva in Rempublicam Mainburg  
 „ mala redundant. Denique, unde vo- l. 5. mag.  
 „ bis tanta temeritas, ut in ipsum quo- schism. occid.  
 „ que Pontificem manus injicere, Papa-  
 „ lem ei thiaram eripere, illumque digni-  
 „ tate sua spoliare præsumeretis, prout  
 „ nuperrime Constantiæ fecistis? „

## §. LXV.

*Sollicitudo Imperatoris circa admini-  
 strationem bonorum Ecclesiastico-  
 rum in Germania.*

Non obstantibus hisce querelis Joannes Gob. Pers.  
 dignitate sua exutus permanfit, atque Cosmod. æt.  
 Imperator vacante sacra Sede rerum Ec- 6. c. 94.  
 clesiasticarum curam in Germania susce-  
 pit, ad Beneficia nominavit, & gratias,  
 quas expectativas vocant, concessit, quod  
 nonnulli tanquam quid insolitum inter-  
 pretabantur. Ceterum die trigesima pri-  
 ma Maji statim post festum Corporis Chri-  
 sti Nationes congressum instituerunt, Joan-  
 nis Hussi causam profecuturi.

## §. LXVI.



Sæcul. XV.

§. LXVI.

A.C. 1415.Libellus supplex pro Joanne Husso a Bohemis oblatus.*Vander  
Hardt tom. 4  
p. 306.*

Cum Bohemi Proceres nullum responsum a Concilio retulissent, iterato supplices obtulerunt literas, exponentes, Joannem Hussum pluribus declarasse, se a via veritatis nunquam recessurum, nec ullum unquam errorem deinceps traditurum; addebant, propositiones ex ejus libris excerptas, ab ejus adversariis mutilatas, atque adulteratas fuisse, eo duntaxat consilio, ut Virum falsis criminacionibus impune perderent: Ut vero Hussi innocentiam, atque Orthodoxiam vindicarent, testimonium, quod Inquisitor hæreticæ pravitatis Pragæ in Mense Augusto Anno supra millesimum quadringentesimo decimo quarto in ejus favorem dederat, produxerunt, tandemque ad calcem libelli eum e carcere dimitti rogant, ut recuperatis viribus, atque sanitate suis Censoribus respondere posset, idcirco idoneam polliciti cautionem, eum, antequam sua causa penitus finiretur, e judicum manibus nunquam elapsurum.

§. LXVII.

*Responsum Patriarchæ Antiocheni ad Bohemorum libellum.*His Patriarcha Antiochenus nomine  
Conci-



Concilio respondit, examinatum iri testi- Sæcul. XV.  
 monium Orthodoxiæ, quod pro Joanne A.C. 1415.  
 Hussio exhibuissent, nec non Synodi Pa-  
 tres exacte discussuros, an excerpta ex  
 Hussii libris fuerint adulterata: fidejusso-  
 res vero ab eis oblatos minime a Synodo  
 accipi posse, quia de Viro res ageretur,  
 cujus fides quocunque demum vinculo  
 firmaretur, semper suspecta foret. Syno-  
 dum tamen statuisse, concedendum esse  
 Hussio tertia Junii sermonis aditum, in quo  
 libere suam mentem aperire posset, eum-  
 que cum omni mansuetudine, ac chari-  
 tate exceptum iri. Eadem rata habuit  
 Imperator, qui primum congressu ad fi-  
 nem vergente advenerat, cumque lectio-  
 ni literarum non interesset, Bohemi Pro-  
 ceres eas illi exhibebant, rogantes, ut pro  
 libertate captivi apud Synodum deprec-  
 retur. Joannes Clumæus cum ceteris  
 læto animo e cætu abiit, fiducia plenus,  
 fore, ut optatus responderet eventus, quæ  
 tamen spes mox evanuit.

## §. LXVIII.

*Deputati ad Joannem Hussium, palinodiam suaseri.*

Cum vero Synodus pertimesceret, ne si *Vander*  
 Hussio publicam loquendi copiam de- *Hardt to. 4.*  
 neget, seditio suscitaretur, pro illa tempo- *p. 313.*  
 ris ratione consultius fore censuit Gottle-  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI.* F biam,



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

biam, ubi captivus detinebatur, Deputatos mittere, qui illum ad retractandos errores inducerent. Plura particularia subiit examina, in quibus visus est, Synodali iudicio se submittere. Paucis tamen ex post diebus, nempe quinta Junii Gottlebia Constantiam ducitur in coenobium Fratrum Franciscanorum, ubi usque ad condemnationem suam in vinculis permansit. Eodem, quo advenerat, die Cardinales, Prælati, & nonnulli Doctores Articulos ex libris ejus decerptos ad examen vocarunt. Hussita quidam tunc temporis præsens Joannem Hussum indicta causa condemnatum iri suspicatus, rem ad Joannem Clumæum detulit, qui comitante Wenceslao de Duba Cæsarem accedens, de injuria conquestus est. Hinc Imperatoris jussu Synodi Prælatos Elector Palatinus, & Burgravius Norimbergensis adiere, qui Hussum, antequam benigne auditus esset, damnari, nomine suo prohiberent, ipsisque insinuarent, Cæsareæ id voluntatis esse, ut Articulos, quos erroneos judicaverint, ad eum mitterent, Virorum scientia ac probitate celebrium discussioni subjiciendos. Duo isti Principes injuncto functi sunt officio, proin articulorum examen, donec ipse Joannes Hussus præsens esset, suspensum fuit.

§. LXIX.



§. LXIX.

Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

*Joannes Hussus primo auditus.*

Itaque Hussus in confessu die V. Junii celebrato adesse jussus est. Simulac ingressus erat, libri sui eidem exhibebantur, quos ut proprios partus agnoscens omnes errores, si qui in eis reperirentur, se retractaturum promisit. Postmodum Articuli ex iisdem deprompti legentur, sed statim ad primum Articulum adeo insolens excitabatur strepitus, ut Patres non solum Joannis Hussi responsa sed nequidem propriæ vocis sonum percipere potuerint. Quapropter causa ad septimam Junii diem, quæ in feriam sextam inciderat, protracta fuit.

Vonder  
Hardt to. 4.  
p. 314. 315.  
Et 316.

§. LXX.

*Hussus secundo auditus.*

Joannes Hussus in hoc confessu secundo vocatus comparuit, præsentem Imperatorem, Bohemiæ Proceribus stipato. Ubi omnes confedere, Michael de Causis ex quadam scheda legit, Joannem Hussum accusatum fuisse, quod substantiam panis materialis post consecrationem in Eucharistia manere docuisset. Sed Hussus constanter hoc negavit.

F 2

§. LXXI.



Sæcul. XIV.  
A. C. 1415.

§. LXXI.

*Accusationum capita contra Joannem  
Huffum, & ejus responsiones.*

*Reichental*  
*p. 305.*  
*Cochlæus*  
*hist. Huffit.*  
*p. 108.*

Præterea objecerunt Huffo, quod errores Wiclefi adoptasset, respondit ille, se nullum errorem docuisse, an autem Wiclefus in Anglia tales disseminasset, sibi non constare, se autem ideo librorum suorum condemnationi ab Archiepiscopo Pragensi factæ non obtemperasse, eoquod nonnullos condemnasset Articulos, quos tamen defendi posse crederet, nempe quod Sylvester Papa, & Constantinus erraverint, dotando Ecclesiam; illum vero articulum, in quo dixisset, quod Sacerdos in mortali existens peccato, nec consecret nec baptizet, seipsum jam limitasse dicendo: quod indigne consecret, & Baptizet, quia in peccato mortali constitutus, Sacramentorum Christi indignus esset Minister.

Insuper asseruit, decimas esse meras Eleemosynas, quamvis eas dandi obligatio fringeret. Professus est, se nunquam ullam Wiclefi propositionem cum pertinacia tenuisse, ægre tamen tulisse, illas sine allatis rationum momentis ex S. Scriptura petitis fuisse damnatas. Postmodum retulit controversiam, quam cum suo Archiepiscopo habuit, dixitque, se



se quidem ab ipsius sententia Romam ap-  
 pellasse, cum tamen ibi jus sibi dici de-  
 speraret, se ad ipsum Christum Domi-  
 num provocasse. Fessus est, se ante ali-  
 quot annos tradidisse, Joannem Wicle-  
 sum æternam consecutum esse gloriam,  
 seque exoptare, ut sua quoque anima  
 eandem cum illo mansionem in cælis ha-  
 beret; negavit tamen, se ad capeffenda  
 arma concitasse populum, aut tumultus  
 in regno Bohemiæ exortos incendisse,  
 multo minus sua ex culpa Nationem Ger-  
 manam a Pragensi Universitate abscessif-  
 se. Ad hoc Stephanus Paletz repone-  
 bat, a Joanne Hussu, ejusque Sectato-  
 ribus non modo alienigenas, sed ipsos  
 quoque indigenas Bohemia exire coa-  
 ctos, eorumque quamplurimos in Mora-  
 viam relegatos fuisse. Regessit Hussus,  
 non vera narrari, eoquod ipse tunc tem-  
 poris, quando isti abierant, Pragam non  
 incoluisset. Ita finem habuit confessus,  
 & Joannes Hussus Archiepiscopo Rigensi  
 iterum traditus fuit, qui utpote S. R. Ec-  
 clesiæ Sigillifer Hieronymum quoque Pra-  
 gensem captivum tenebat.

## §. LXXII.

*Hussus ab Imperatore ad retractan-  
 dum monitus.*

**P**ræterea Cameracensis Cardinalis, pri-  
 us-

Sæcul. XV.  
 A. C. 1415.



Sæcul. XV. usquam discederet, Husso objecit,  
A.C. 1415. ipsum dixisse, quod nisi sua sponte ad  
 Synodum venire statuisset, nec Regis Bohemi, imo nec ipsius quoque Imperatoris auctoritate compelli potuisset; Non abnuit dicta Joannes, ejusque confessionem Joannes Clumæus intrepide confirmavit. Itaque Cardinalis Cameracensis Husso auctor fuit, ut amore propriæ suæ salutis, atque honoris sese Concilii sententiæ submitteret, prout ipse in carcere spondidisset. Cumque Imperator salutaribus hisce Cardinalis hortationibus sua quoque junxisset monita, Joannes Hussus jam in eo erat, ut Cæsari responderet, ac pro ejus benevolentia gratias rependeret, sed Joannes Clumæus illum interrupt, monendo, ut ante omnia pertinaciæ crimen, quod Imperator in suo alloquio mox ei objecisset, dilueret; quapropter Hussus contestatus est, se quam maxime alienum esse, ut quicquam cum pertinacia tueretur, se enim libera voluntate Synodum accessisse, haud alio animo, quam ut meliora edoctus, quæ hucusque tradidisset, retractaret. Hisce congressibus finitis, a justitiæ Ministris in custodiam reductus fuit.



## §. LXXIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1415.*Joannes Hussus tertio auditus.*

Alterâ die Joannes tertio coram iisdem Deputatis, eodemque in loco comparuit. Ante omnia viginti sex prælegebantur articuli ex tractatu, quem *de Ecclesia* inscripsit, extracti; hunc librum tanquam genuinum laboris sui partum agnovit, & quandam illius declarationem produxit, quæ in hoc confesso recitata est. Ubi Articulos, qui sui erant, tanquam suos approbavit, alios explicavit, ceteros autem, qui ipsi ab Adversariis suis, & præcipue a Stephano Paletz affingebantur, negavit. Summa doctrinæ in triginta novem Articulos distincta fuit, quorum primi viginti sex ex libro *de Ecclesia*, prout diximus, excerpti fuere, septem vero sequentes ex responso Joannis Hussi ad Stephanum Paletz, & sex ultimi ex libro, quem composuit contra Stanislaum de Znoima Professore Theologiæ Pragensem, qui quondam suus erat Magister, longe tamen alienus a mente sui Discipuli. En ipsos Articulos.



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

§. LXXIV.

*Articuli ex libris Joannis Husfi de-  
prompti.*

Vander  
Hardt to. 4.  
p. 526.

I. *Unica est Sancta universalis Ecclesia, quæ  
est Prædestinatorum universitas.*

II. *Paulus nunquam fuit membrum dia-  
boli, licet fecerit quosdam actus actibus Ec-  
clesiæ malignantium consimiles. Similiter  
Petrus, qui in grave periurium incidit per-  
mittente Domino, ut fortius resurgeret.*

III. *Nulla pars Ecclesiæ ab ea finaliter  
excidit, eoquod prædestinationis charitas,  
quæ eam ligat, non excidet.*

IV. *Prædestinatus semper manet mem-  
brum Ecclesiæ, licet non sit actu in gratia  
secundum præsentem justitiam. \**

V. *Nullus locus dignitatis, vel humana  
electio, vel aliquod signum sensibile facit mem-  
brum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ.*

VI. *Præscitus nunquam est pars sanctæ  
Matris Ecclesiæ.*

VII. *Ju-*

---

(\*) *Hæc propositio in actis Concilii integra  
sic refertur: Præscitus & si aliquando sit in  
gratia secundum præsentem justitiam, tamen  
nunquam est pars S. Ecclesiæ, & prædestina-  
tus semper manet membrum Ecclesiæ licet ali-  
quando excidat a gratia adventitia, sed non a  
gratia prædestinationis, &c.*



VII. Judas nunquam fuit verus Christi Discipulus. Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

VIII. Sumendo Ecclesiam pro convocatione Prædestinatorum, sive sint in gratia sive non, secundum præsentem justitiam isto modo est Ecclesia S. universalis. Et ideo est articulus fidei. Et illa est non habens maculam neque rugam, sed est sancta & immaculata, & quam Christus vocat suam.

IX. S. Petrus non fuit, nec est caput Ecclesie sanctæ Catholicæ.

X. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, si vivit moribus contrariis Petro, tunc est præcursor Anti-Christi, & vicarius Judæ Iscariotis.

XI. Simoniaci omnes, & Sacerdotes quomodolibet criminosè viventes sacerdotii polluunt potestatem, & sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesie, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cæremoniis, & sacris rebus Ecclesie, veneratione reliquiarum, indulgentiis, & ordinibus.

XII. Papalis dignitas à Cæsare inolevit.

XIII. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quod esset caput particularis sanctæ Ecclesie.

XIV. Non oportet credere, quod iste quicumque est particularis Romanus Pontifex sit caput cujuscunque particularis Ecclesie sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.



Sæcul. XV.

A. C. 1415.

XV. *Potestas Papæ tanquam Vicarii Christi est nulla, nisi sit conformis Christo & S. Petro in moribus & vita.*

XVI. *Papa, non quia Petri vices tenet, sed quia magnas possidet divitias, ex eo est sanctissimus.*

Joannes Hussus hanc propositionem mutilatam fuisse conquestus est.

XVII. *Cardinales non sunt manifesti & veri successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum servantes consilia & mandata Christi.*

XVIII. *Nullus hæreticus ultra censuram Ecclesiasticam iudicio sæculari est tradendus mortis pœna castigandus.*

XIX. *Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum præter expressam auctoritatem Scripturæ.*

XX. *Principes terræ Sacerdotes ad obediendum legi Christi obligare tenentur.*

XXI. *Excommunicatus a Papa, si spreta Papæ ac Concilii Generalis sententia, ad Christum appellat, hæc appellatio impedit, ne excommunicatio ei noceat.*

XXII. *Si homo est vitiosus, tunc agit vitiose, & si est virtuosus, tunc agit virtuose.*

XXIII. *Sacerdos Christi vivens secundum legem ejus & habens notitiam Scripturæ, & affectum ad ædificandum populum, debet prædicare non obstante prætenfa excommunicatione. Quod si Papa vel alius*  
Præ-



*Prælati mandat Sacerdoti sic disposito non prædicare, non debet obedire subditus.*

Sæcul. XV.

A. C. 1415.

XXIV. Hic articulus non nisi paulo fusior est prioris explicatio.

XXV. Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis & interdicti ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, signum autem evidens est, quod ab Anti-Christo tales procedant censure, quas vocant fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Christi.

XXVI. Non debet poni interdictum in populo, quia Iesus Christus, summus Pontifex, nec propter Joannis Baptistæ carcerationem, nec propter sibi illatas injurias posuit interdictum.

XXVII. Si Papa, Episcopus vel Prælati est in peccato mortali, tunc non est Papa, Episcopus vel Prælati.

XXVIII. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

XXIX. Si Papa est malus & præscitus tunc, ut Judas Apostolus, est Diabolus, fur, & filius perditionis, & non est caput sanctæ militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.

XXX. Articulus iste a præcedenti non differt.

XXXI.



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

XXXI. *Papa non debet dici sanctissimus etiam secundum officium, quia alias Rex etiam deberet dici sanctissimus, & tortores & præcones dicerentur sancti, imo etiam diabolus.*

XXXII. *Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam & legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum.*

XXXIII. *Condemnatio quadraginta quinque Articulorum Joannis Wicleff per Doctores facta est irrationabilis, & iniqua, & ficta est caussa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet hæreticus.*

XXXIV. *Non eoipso, quod electores vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eoipso est verus & manifestus Vicarius, aut successor Petri, sed eoipso quo copiosius operatur meritorie, ad profectum Ecclesiæ, habet a Deo ad hoc copiosius potestatem.*

XXXV. *Papa præscitus non est caput Sanctæ Ecclesiæ.*

XXXVI. *Non est seintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia conversetur.*

XXXVII. *Christus sine talibus Capitibus monstruosis, per suos veraces Discipulos*



los, sparsos per orbem terrarum, melius suam Ecclesiam regularet.

Sæcul. XV.

A. C. 1415.

XXXVIII. Petrus non fuit Pastor universalis ovium Christi, multo minus Romanus Pontifex.

XXXIX. Apostoli & fideles Sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium fuerat introductum, sic facerent deficiente per summe possibile Papa, usque ad diem judicii.

## §. LXXV.

*Hussus ad retrahendum a Cæsare incassum admonitus.*

Examinate omnibus istis propositionibus, quas singulas Joannes Hussus sua explicatione, quamdiu ei libuit, interpolavit, Cardinalis Cameracensis ipsi, quot, quantorumve errorum accusaretur, ante oculos posuit, fervide exhortatus, ut iudicio ac Concilii decisioni sese submitteret, & illius placitis sine renisu morem gereret, si secus faceret, pertinaciæ suæ poenas daturum. Ceteri quoque Prælati haud segnius Cardinalis adhortationes, ac preces suis auxerunt. Joannes autem iterato audiri petiit, promittens, se libenter Concilii instructionibus cessurum, si certis, ac validis rationibus suas sententias confirmare capax non esset.

Vander

Hardt to. 4.

p. 345.



Sæcul. XV. A. C. 1415. effet. Ast Cardinalis Cameracensis replicavit, dicens: obediendum esse, erroresque abiurandos; iisdem quoque instabat Imperator, suasque adhortationes ingeminabat, sed semper obstinatum comperiens, subjunxit: *Concilium & Doctores habent jura sua, quidnam tecum finaliter agere debeant.* Satis prolixa fuit hæc sermocinatio, quia Joannes ad omnia, quæ ipsi dicta fuere, semper aliqua reposuit, quædam facta omnino negando, aliqua explicando, semper tamen nullius culpæ reum se contestando.

## §. LXXVI.

*Hussus in carcerem reductus.*

*Idem to. 4.* *p. 348.* **P**ost alios sermones prioribus similes, qui potissima ex parte objecta crimina concernebant, denuo Archiepiscopo Rigenfi tradebatur ad carceres reducendus. Joannes Clumæus illum sequebatur, Imperator vero in confessu persistens, dixit, Inter omnes perlectos Articulos nullum, flamma non dignum reperiri, sique Joannes Hussus retractare renuerit, suo quidem judicio rogo imponendum, imo etsi Concilio obediret, nihilominus a docendi munere, atque a finibus Bohemiæ arcendum fore. Addebat, errorum suorum damnationem in Bohemiam, Poloniamque mittendam, cunctosque hujus Hæresiar.



fiarchæ sectatores, præprimis autem Hieronymum Pragensem severe coercendos esse. Cui nonnulli respondebant: exemplo Magistri sapere incipient Discipuli.

Sæcul. XV.

A. C. 1415.

## §. LXXVII.

*Formula retractationis Hussi transmissa.*

Postera die Cardinalis Vivariensis Concilii Præses Joanni Hussi retractationis formulam transmisit, sequentibus conceptam terminis: *Ego Joannes Huss &c. ultra protestationes a me factas, quas hic volo habere pro repetitis, protestor de novo, quod licet multa imponantur, quæ nunquam cogitavi, nihilominus de omnibus mihi impositis, seu contra me objectis, seu de libris meis extractis, sive etiam testium depositionibus, submitto me humiliter ordinationi, definitioni correctioni sacrosancti Concilii Generalis, ad abiurandum, revocandum, retractandum, ad pœnitentiam misericordem subeundam, & faciendum omnia, & singula, quæ dictum sacrosanctum Concilium pro salute mea duxerit misericorditer, & ad gratiam suam ordinandum, eidem me devotissime recommendans.*

Legit Formulam Hussus, sed sese illi subicere recusavit, sive quia in ea plures damnarentur propositiones, quas ipse velut totidem veritates venditabat, sive quia,



Sæcul. XV. quia, eas abjurare non posset, quin (ut  
A.C. 1415. inquiebat) eo ipso mentiretur, quatenus  
 se errores quondam docuisse fateretur,  
 quod tamen falsum esset, sicque populo  
 Dei offensionem foret.

## §. LXXVIII.

*Joannes Hussus obstinate retractare  
 renuit.*

Inde in suo proposito pertinax, retractare omnino recusavit. Aliorum quidem Scriptorum fide habemus, Joannem Hussum suos errores revocasse, aut saltem id promississe, ipsumque Concilium futuræ hujus retractationis firmam adeo concepisse spem, ut jam prævie de modo cum Hussu procedendi, si retractaret deliberasset; Nihilominus tamen nullum alium immotæ suæ pertinaciæ testem, quam propria illius verba advocamus; Percipiamus enim, quæ ipse in quadam Epistola in pervigilio mortis suæ ad Universitatem Pragensem perscripserat: *Scitote, quod nullum Articulum revocavi, nec abjuravi: Volebat Concilium, ut omnes, & quemlibet Articulum extractum de libellis dicerem fore falsum. Nolui, nisi scriptura ostenderent falsitatem. Unde quicumque esset sensus falsus, in quocunque illorum articulo illum detestor, & remitto ipsum correctioni*



*Etioni Domini nostri J Esu Christi, qui meam* Sæcul. XV.  
*sinceram intentionem cognoscit.* A. C. 1415.

Hinc certissimum esse judicamus, Joannem Hussum nunquam recantasse, sed solum sub conditione retractationem spondisse.

## §. LXXIX.

*Theologorum Conclusiones circa communionem sub utraque specie.*

Joanne Husso in pertinacia perseverante, judiciaria adversum eum parabantur sententia. Interea vero Theologorum studia convertebantur ad examinandas Littomisliensis Episcopi querelas ad Synodum contra Jacobellum delatas, qui Pragæ Communionem sub utraque specie necessariam defendebat. Hoc doctrinæ caput sex conclusionibus deciderunt. Prima probant Institutionem Eucharistiæ sub duplici specie. Secunda asserunt, Laudabilem & approbatam esse consuetudinem, hoc Sacramentum nunquam post cænam administrandi, nisi in casu infirmitatis. Tertiadocent, licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur sub utraque specie, nihilominus ad evitanda aliqua pericula, consuetudinem sub unica specie panis fideles S. Dape pascendi introduci potuisse. Quarta præcipiunt, hanc

*Hist. Eccles. Tom. XXVI.* G con-

*Vonder  
Hardt to. 4.  
p. 331.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

consuetudinem habendam esse pro Lege, cum diutissime esset observata, quapropter non licere eam reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libitu mutare. Quinta affirmant, errare eum, qui hujus consuetudinis observantiam illicitam esse assereret. Sexta denique declarant, eos, qui doctrinam præmissis oppositam tenerent, hæreticos censerent, atque ut tales coercendos ac puniendos esse.

§. LXXX.

*Caussa Joannis Parvi ventilata.*

*Monstrelet.*  
*vol. I. c. 36.*

Peractis hisce deliberationibus, caussa Joannis Parvi Franciscani proposita est, cujus apologia pro Burgundiæ Duce propter patratam Ducis Aurelianensis cædem, & ejusdem propositiones jam in comitiis Cleri Parisiis damnatæ fuerant. Quamvis Carolus VI. Rex Galliæ rebus suis non parum consultum fore perspiceret, si Parisiensis conventus sententia etiam a Constantiensibus Patribus approbaretur, nihilominus secundum lenitatis viam Burgundiæ Ducis caussam decidi peroptabat, utpote qui, licet absens, in Gallia plurimum metuebatur. Dux vero veritus, ne caussa sua in Synodo caderet, Regem Franciæ sollicitavit, ut legatis suis præciperet, ne suo nomine huic negotio accederent, nec illi patrocinia-



cinarentur, pollicitus, eadem quoque seipsum facturum, suisque Ministris Constantiæ morantibus haud alia daturum mandata. Annuente Rege, uterque suos Legatos juxta hæc conventa instruxerant, qui suorum Principum mandata effectui dare haud neglexerunt.

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

## §. LXXXI.

*Epistola Ducis Burgundiæ ad Nationis Gallicæ Deputatos.*

Postquam vero circumacto quodam tempore Burgundiæ Duci nunciatum esset, Synodum vehementer urgere, ut propositiones Joannis Parvi damnarentur, Dux ipse ad Concilium, seu ad Nationis Gallicæ Deputatos literas dedit, quibus exposuit, circa damnationem Parisiis factam, censuisse quam plurimos, nequam Joannis Parvi apologiam proscriptam fuisse, sed alium quemdam supposititium partum inimicorum fraude consutum, ipsam vero Joannis propositionem, sive demum vera esset, sive falsa, nonnisi leviter castigatam fuisse; postea rogavit Synodum, ne quicquam, vel suo vel Joannis Parvi nomine, proponi pateretur, absque prævia discussione, & quidem præsentibus Burgundiæ Legatis, nec aures præberent Synodi Patres nonnullis hypocritis, atque impostoribus, qui de Gal-

Gerson. tom.  
5. p. 342.



Sæcul. XV. A.C. 1415. lia actum fore jactitarent, nisi Joannis Parvi propositio sive vera, sive falsa, a Synodo damnaretur, quamvis aliunde certum esset, hanc propositionem æterna sepultum fuisse oblivione, nisi impellente æmulorum odio contra Joannem concepto resuscitata fuisset.

## §. LXXXII.

*Ejusdem literæ ad Imperatorem, & ad Concilium.*

*Gerson. ibid. & p. 347.* Hæc epistola die vigesima sexta Maji in quodam Nationis Gallicæ confes-  
 fu a Martino Porræo Atrebatensi Episcopo, ad Synodum delata est. Qua recitata, Gersonius adversus eam excepit, justitiam fieri a Synodo postulans. Paucis ex post diebus binas adhuc alias literas, nimirum alteram ad Imperatorem, alteram vero ad Gallicæ Nationis Deputatos exarare compellebatur. In prima accusationem a Ludovico Bavaro contra se allatam diluit; hic enim Burgundiæ Ducem accusabat, quod cum Ludovico Galliæ Delphino, Aquitanniæ Duce, necnon cum Comite Sabauda conspirasset, ut Imperatorem in itinere Niciam versus tendentem e medio tollerent. Hæc Fredericus Austriæ Dux Sigismundo referebat. Altera epistola amaro calamo scripta erat; in ea enim Ludovicum de Bavaria



Bavaria hominem imbellem, ingratum, Sæcul. XV.  
A. C. 1415.  
discordiarum Architectum, Fridericum  
vero tanquam calumniatorem convitia-  
tur. Ast Ludovicus Bavarus in quadam  
Congregatione, ubi hæc epistola perle-  
cta fuit, solemniter contestatus est, se  
nunquam ex alterius, quam ipsius Fride-  
rici ore, sibi id manifestantis, de ejusmo-  
di conjuratione notitiam habuisse. Qua-  
re Dux Austriæ veritus, ne Synodi  
sententia sibi molesta futura esset, culpam  
in Joannem XXIII. rejecit, dixitque,  
hunc ipsum Pontificem cum Duce Bur-  
gundo, & Comite Sabauda sanguinarium  
hoc consilium iniisse. Sed parum va-  
luere ejusmodi subterfugia; Ludovicus  
enim Bavarus satis aperte se purgavit,  
suæque innocentiae publicum instrumen-  
tum confici postulavit.

## §. LXXXIII.

*Joannis Parvi causa in Congrega-  
tione a Gersonio proposita.*

Septima die Junii habita est Congrega-  
tio, in qua Cardinalis Cameracensis  
docuit, omnia fidei negotia ante Impera-  
toris discessum examinanda, quin imo e-  
tiam decidenda esse, ideoque cuilibet in-  
tegrum fore, quævis dogmata ad fidem  
spectantia plena securitate proponere.  
Quibus motus Gersonius Joannis Parvi  
G 3                      causam



Sæcul. XV. A.C. 1415. causam produxit, atque libellum obtulit, in quo novem illæ Parisiis condemnatæ continebantur propositiones. Legerunt scriptum, quo absoluto Episcopus Attrebatensis reposuit, ea, quæ mox prælegissent, prætensam quamdam respicere sententiam, quæ honori, famæ, & Ducis Burgundiæ dignitati injuriosa Parisiis ab Episcopo dictæ urbis pronuntiata fuisset, quapropter Ducem ab hac sententia ad Sedem Apostolicam atque Synodum appellasse. Gersonius autem, hanc sententiam esse oppido Canonicam, respondit, ejusque Confirmationem a Concilio petiit. Episcopus Attrebatensis excepit, provocasse Burgundum ad Curiam Romanam, tresque nominatos fuisse Cardinales hujus causæ judices, necnon litigantes partes jamjam in judicium vocatas; item Concilium, quamvis desuper congregatum, hujus tamen causæ cognitione supersedisse, ne unionis negotium tardius procederet; Ducis autem Procuratores appellationem suam non fuisse prosecutos, nec causam dixisse; idem Galliæ Regem legatis quoque suis demandasse. Hinc Episcopus prælegit mandata tam Caroli VI, quam Ducis Burgundi Legatis data, quibus hanc causam suspendere jussi fuerant. Nihilominus tamen illam in sequenti Sessione rursus assumptam fuisse legimus.

§ LXXXIV.



## §. LXXXIV.

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.*Sessio decima tertia. Decretum contra Communionem sub duplici specie.*

Sessio hæc decima tertia celebrata fuit *Lab. Conc.*  
die XV. Junii. Peractis de more so-  
lemnibus, Archiepiscopus Mediolanensis  
jussu Concilii, & requirentibus Promoto-  
ribus Decretum contra communionem  
sub utraque specie prælegit, cujus tenor  
erat sequens: *tom. 8. p. 98.*  
*Cum in nonnullis mundi par-*  
*tibus quidam temerarie asserere præsumant,*  
*populum Christianum debere sacrum Eucha-*  
*risticæ Sacramentum sub utraque panis &*  
*vini specie suscipere, & non solum sub specie*  
*panis, sed etiam sub specie vini populum*  
*laicum passim communicent, etiam post cæ-*  
*nam vel alias non jejunum, & communi-*  
*candum esse pertinaciter asserant, contra lau-*  
*dabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabi-*  
*liter approbatam, quam tanquam sacrilegam*  
*damnabiliter reprobare conantur, hinc est,*  
*quod præsens S. Concilium adversus hunc*  
*errorem salutem fidelium providere satagens,*  
*matura plurium Doctorem deliberatione*  
*præhabita, declarat, decernit, & definit,*  
*quod licet Christus post cœnam instituerit &*  
*suis Discipulis administraverit sub utraque*  
*specie panis & vini hoc Venerabile Sacra-*  
*mentum, tamen hoc non obstante sacrorum*



Sæcul. XV  
A.C. 1415

Canonum auctoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesie servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admissio. Et sicut hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur sub utraque specie, postea a conficientibus sub utraque & a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur. Cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesie auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare, sit sacrilegum, aut illicitum, censeretur erroneum & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, & graviter puniendi per Diocesanos locorum seu Officiales eorum, aut Inquisitores hæreticæ pravitatis in Regnis, seu Provinciis, in quibus contra hoc Decretum aliquid fuerit forsan attentatum, atque præsumptum, juxta canonicas



*nonicas & legitimas Sanctiones in favo-* Secul. XV.  
*rem Catholicæ fidei contra hæreticos, & eo-* A. C. 1415.  
*rum fautores, salubriter adinventas.*

## §. LXXXV.

*Commissarii ad causas fidei nominati.*

Perlecto hoc juxta ac approbato De- Labbe Conc.  
 creto, aliud adhuc recitabatur, quo to. 12. p. 102.  
 omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, E- Vander  
 piscopis, Prælatiis, eorumque Vicariis u- Hardt to. 4.  
 bilibet constitutis sub pœna excommu- p. 335.  
 nicationis præcipiebatur, punirent eos,  
 qui hoc Decretum pertinaciter transgre-  
 derentur, invocato etiam (si opus fuerit)  
 auxilio brachii sæcularis, qui vero ad  
 poenitentiam redierint, ad gremium Ec-  
 clesiæ susciperentur, injuncta eis poeni-  
 tentia. Cum vero indies novæ prodi-  
 rent hæreses, Promotores Concilii Com-  
 missarios nominari postulabant, qui ma-  
 terias fidei examinarent, & de illis us-  
 que ad sententiam definitivam exclusi-  
 ve judicarent. Annuente Synodo, Car-  
 dinales Ursinus, Aquilejensis, Camera-  
 censis, & Florentinus cum quatuor aliis  
 cujusvis Nationis Commissariis tam E-  
 piscopis, quam Doctoribus ad audiendas,  
 & examinandas fidei causas, nominati  
 sunt, ut observata legum norma judica-  
 rent, & quascunque hæreses, atque erro-  
 res tam in fide, quam in moribus unde-  
 cunque



Sæcul. XV. cunque habuerint, vel habeant originem, A.C. 1415. nulla omnino habita Personarum acceptione, extirparent, exclusive usque ad sententiam definitivam pronuntiaturi. Subjunxit quoque Decretum, quod *in caussa hæresis contra Joannem Hussum, quæ circa conclusionem existit, per judices deputatos hucusque in ea ulterius cognoscatur, & procedatur per eosdem.* Placuit omnibus hoc Decretum excepto Episcopo Attrebatensi, qui aperte declaravit, Cardinalem Cameracensem Burgundiæ Duci, saltem in caussa Joannis Parvi, suspectum esse, proin a se illum tanquam Commissarium recusari, usquedum a Duce Domino suo nova mandata accepisset.

## §. LXXXVI.

*Episcopus Attrebatensis sese condemnationi Joannis Parvi opponit.*

*Gerfon. to. 5. p. 362.* **C**redunt nonnulli, Cameracensis exclusionem ab Attrebatensi factam ortum habuisse ex intima amicitia, inter Cardinalem & Joannem Gerfonium, qui damnationem Joannis Parvi præ ceteris vehementius urgebat. Præterea dictus Episcopus, Parisiensis Episcopi, necnon Inquisitoris hæreticæ pravitatis sententiam irritari, nullamque a Synodo declarari petiit, partim quia modo minime legitimo, utpote in caussa Sedi Apostolicæ reservata  
ambo



ambo pronuntiaſſent, partim quia propoſitiones condemnatae adhuc probabiles eſſent, plurimumque Doctorum auctoritate firmatae. Idem quoque Pariſienſi Epiſcopo, Joanni Gerſonio, & Concilii Promotori ſilentium imponi poſtulabat, eo quod in hoc negotio juris ordinem violaſſent, de cetero calumnioſae denunciationis contra Burgundiae Ducem a Gerſonio factae poenam, judicum arbitrio, ac prudentiae relinquens. Tandem profeſſus eſt, ſe hujus propoſitionis: *Licitum, imo & laudabile eſt occidere Tyrannum,* damnationi antehac petitae nullatenus obluſtaturum, dummodo per Synodi decretum explicata, magis illuſtraretur. Pariter Abbatiae Cluniaceniſis Procurator, qui Attrebatenſi Epiſcopo Legationis comes adjungebatur, hanc in rem, ſed majori longe modestia diſſerebat, atque in libello, quem porrexit, novum examen inſtitui commendabat, quo praemiſſo ſententia Pariſienſis Epiſcopi, ſi vitiis, aut quibusdam naevis obnoxia eſſet, nulla declararetur. Pariter novem illas propoſitiones jam alibi relatas examini ſubjiciendas, itemque de mediis proſpiciendum poſtulabat, quibus laeſus Burgundiae Ducis honor repararetur, ſimulque Joannis Parvi, utpote qui triennio, antequam liber ejus Pariſiis damnatus fuiſſet, jamjam e vivis exceſſerat, memoria reſarciretur.

Saecul. XV.  
A.C. 1415.

1415  
1415



Sæcul. XV. ciretur. Ceteroquin in opportuna con-  
 A.C. 1415. \_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_ sensit remedia, quibus adhibitis honori  
 eorum, qui hanc causam denunciabant,  
 consuleretur.

*Bzov. hoc  
 an. n. 416.*

Posthæc prælegebantur opiniones  
 Cluniacensis & Cisterciensis Abbatum,  
 qui pro Duce Burgundo Legatione fun-  
 gebantur. Ambo censebant Parisiensis  
 Episcopi sententiam, salva tamen hujus  
 Judicis persona, ejusque honore, irritan-  
 dam, atque altesatam propositionem ibi  
 generatim enunciata omnino esse da-  
 mnandam; addita nihilominus limitatio-  
 ne, qua hæc damnatio nec vivis, nec  
 mortuis præjudicio esset, nec liceret ean-  
 dem alicui, saltem nisi illius Auctor  
 fuisse, legitime convinceretur, adscribe-  
 re, nec illi, qui quondam Joannis Parvi  
 propositiones tenuerint, hæreses accusa-  
 rentur, sed imposterum in sua probabili-  
 tate relinquerentur. Attamen pro tunc  
 res indecisa permansit.

§. LXXXVII.

*Carolus de Malatestis Constantiam  
 venit.*

*Vander  
 Hardt to. 4.  
 p. 341.*

Postridie hujus Sessionis nimirum deci-  
 ma sexta Junii Carolus de Malatestis  
 Arimini Dynasta, Gregorii XII. Procura-  
 tor ad nunciandam illius sessionem de-  
 signatus, Constantiam venit, a Patribus  
 ingenti



ingenti gaudio, ac pompa exceptus. Sequenti die ad Sigismundi alloquium admissus, Gregorii literas exhibuit, declarans, se ad Imperatorem, non autem ad Synodum, utpote quam Gregorius necdum ut legitimam agnosceret, missum esse. Nationum quoque Deputatos duntaxat juxta privatos dignitatum suarum gradus venerabatur, iisque significabat, se a Gregorio ad Papatum ejus nomine abdicandum, plena auctoritate munitum esse.

Sæcul. XV.

A. C. 1415.

## §. LXXXVIII.

*Congregatio in causa Joannis Parvi.*

Quamvis Imperator, vel ut vires suas repararet, vel ut liberius publicis invigilaret negotiis, exinde secessisset, nihilo secius tamen in ejus etiam absentia particulares instituebantur conventus. Tunc enim potissimum Patrum cura intenta erat discutiendæ Joannis Parvi causæ. Ante omnia Episcopus Attrebatensis adversus Gersonium Commissariis libellum obtulit, exposuitque, Parisiensi Episcopo, necnon Inquisitori hæreticæ pravitatis diem vigesimam quartam Octobris ad allegandas sententiæ suæ rationes a Synodo dictam fuisse; Gersonium in ædibus Cardinalis Came-

Ibid p. 345.

Gerson. to. 5.

p. 302.



Sæcul. XV. A.C. 1415. Cameracensis frequentius cum eo contulisse, quo pacto propositionum Joannis Parvi condemnatio impetrari posset. Insuper conquerebatur, Joannem Gersonium, quamvis se Galliæ Legatum jactitaret, aperto tamen odio Burgundiæ Duci adversari, ac propositionum Joannis Parvi denunciatores agere; idque diversis factis comprobavit. Ex his facile Attrebatensis Episcopi consilium discipitur, cum enim is ægre ferret, causam hanc a Synodo discuti, iniquius adhuc tulit, a Gersonio illius sententiam tanto ardore urgeri. Ceterum nihil desuper sancitum fuit.

## §. LXXXIX.

*Joannes Hussus ad palinodiam sollicitatus.*

*Vander  
Hardt tom. 4  
p. 345.*

Ad causam Joannis Hussi redire Patres, cujus retractationem, ne extrema adhibere cogentur, ardentè exoptabant; postquam autem sæpius, semper tamen incassum, illius mentem explorassent, præprimis libros ejus ad rogam damnandos esse sanciebant, rati, se hac sententia Hussu timorem incussuros. Nec tamen ejus pertinacia frangi poterat. Petebat nihilominus Confessarium, & Monachum obtinuit, qui omni mansuetudine, atque obsequio eidem inserviebat.



viebat. Postera die prima Julii per solem-  
 nem Deputationem, cui duo Cardina-  
 les, alique Prælati interfuerant, ad re-  
 tractandum invitabatur; quibus tamen  
 responsi loco non nisi schedam manu sua  
 exaratam tradidit, in qua ferme eadem,  
 quæ in prioribus suis effugiis adduxe-  
 rat, expressa legebantur, negans, se ar-  
 ticulos sibi objectos docuisse, aut prædi-  
 casse, dixitque, se nullum eorum abjura-  
 turum, eo quod timeret, ne Deum offen-  
 deret, contra veritatem, & sanctorum  
 Doctorum sententiam loquendo. Verum  
 priusquam hæc causa dirimeretur, ad  
 celebrandam Sessionem decimam quar-  
 tam convocatum fuit Concilium.

Sæcul. XV.

A.C. 1415.

§. XC.

*Session XIV.*

Session hæc habita est decimo quarto Ju-  
 lii. Quia vero Gregorius XII. Syno-  
 di, utpote a Joanne æmulo suo convoca-  
 tæ auctoritatem non agnoscebat, atque,  
 si Cardinalium quisquam præsideret,  
 Papatum dimittere recusabat, Patres  
 Cæsarem pro hac duntaxat vice, sine  
 præjudicio in futurum Sessioni præsi-  
 ciendum esse censuerunt. Quapropter  
 neque Missa cantata, nec reliqua officii  
 divini solemnities alias consueta perageban-  
 tur, sed nonnullis tantum decantatis  
 Hymnis,

Labbe Conc.

to. 12. p. 103.



Sæcul. XV. Hymnis, sacrum solemne tum demum  
A.C. 1415. celebrabatur, postquam Cardinalis Ragusi-  
 nus nomine Gregorii convocaverat Syn-  
 nodum, non enim Pontifex iste conven-  
 tus hucusque institutos pro Generali Syn-  
 nodo habebat. Visum fuit Synodi Pa-  
 tribus, amore pacis in hoc puncto aliquid  
 indulgendum esse Gregorii fastui; non  
 enim exiguam hancce submissionem  
 Synodo præjudicium afferre posse, tum  
 temporis credebatur, quamvis exinde  
 Concilii auctoritati plurimum derogatum  
 fuisse, tempus docuerit. Hinc complu-  
 res tenent Doctores cuncta, quæ tunc a-  
 gebantur, potius simplicem confirmatio-  
 nem, quam Synodi convocationem con-  
 tinere; ita sane Richerus Doctor, Maim-  
 burgus aliique nonnulli sentiunt.

## §. XCI.

*Cæsar hujus Sessionis Præses.*

Verum ut res se habet; id explora-  
 tum habemus, quod Imperator in hac  
 Sessione Præsidis vices suppleverit, in  
 sede ad Altaris frontem posita locatus,  
 cujus latera stipabant, atque humiliores  
 occupabant sedes Cardinalis Ragusinus,  
 & Carolus de Malatestis Ariminensis  
 Toparcha; Qui, perlectis Gregorii Papæ  
 Bullis Arimini die decima tertia Martii  
 datis, auctoritate per easdem concessa,  
 partes



partes sibi demandatas Ragusino Cardinali detulit; hic nomine Gregorii Pontificis scripto declaravit, quod denuo ad procurandam Ecclesiae pacem Synodum convocaret, seu ut alii loquuntur, approbaret, in quantum per Imperatorem, non vero per Joannem XXIII. convocata esset, illamque ratam haberet. Nam, prout jam insinuavimus, circa hoc punctum diversa est Theologorum sententia, quamvis ex diplomate abdicationis a Gregorio factae, atque a Cardinale Ragusino perlectae manifeste appareat, potius de convocatione quam confirmatione actum fuisse. En illius tenorem:

Saecul. XV.  
A.C. 1415.

## §. XCII.

*Diploma cessionis a Gregorio factae.*

Quia sanctissimus Dominus noster Gregorius XII. Papa, *Labb. Com. to. 12. p. 106.* *Et seq.* *Et intellexit,* atque multipliciter est informatus de celebri fama hujus sacrae Congregationis pro Generali Concilio Constantiae congregatae, idcirco avidus Ecclesiae unionis et reformationis ac extirpationis haereticae pravitate, commissionem fecit, prout in ejusdem literis nunc lectis dignoscitur contineri. Cujus quidem mandati vigore ego Joannes Cardinalis Ragusinus auctoritate ipsius Domini nostri, quantum ad eum spectat, ut praedicta sancta unio et reformatio, ac haereticae *Hist. Eccles. Tom. XXVI.* *H pra-*



Sæcul. XV. *pravitatis extirpatio effectum sortiantur;*  
A.C. 1415. *istud sacrum Concilium Generale convoco, &*  
*omnia per ipsum agenda auctorizo, & con-*  
*firmo. Ex quibus fatis aperte convoca-*  
*tio insinuatur.*

## §. XCIII.

*Diploma a Synodo approbatum.*

**A**bsoluta illius lectione Archiepiscopus  
 Mediolanensis auctoritate Concilii di-  
 ctum mandatum approbavit, & convo-  
 cationem, auctoritatem, approbationem &  
 confirmationem nomine illius, qui in sua o-  
 bedientia Gregorius XII. dicebatur, quan-  
 tum ad ipsum spectat, admisit. Utimur pro-  
 priis Synodaliū actorum verbis, ex qui-  
 bus fatis clare patet, hanc convocationem  
 a Synodi Patribus haud alio consilio  
 fuisse concessam, quam ut Gregorio con-  
 descenderent, proin illam convocationi  
 jam antea Anno millesimo quadringente-  
 simo decimo quarto factæ nihil omnino  
 obfuisse, nec eandem tolerando, ullatenus  
 Oecumenici Concilii prærogativæ de-  
 rogatum fuisse, quin potius, dum Grego-  
 rii convocationem confirmabat, eandem  
 sibi denuo asseruisse. Exceptit superius  
 Diploma aliud decretum, quo abrogatæ  
 fuere omnes sententiæ antea ab utraque  
 obedientia occasione schismatis latæ, si-  
 cut etiam cunctæ excommunicationes  
 mutuæ



mutuæ Joannis XXIII. & Gregorii XII. Sæcul. XV.  
 sancitum quoque est, ut Notarii in Instru- A.C. 1415.  
 mentis publicis hujus Sessionis nullam  
 de Romano Pontifice, aut Sede Aposto-  
 lica mentionem facerent, sed duntaxat  
 Annum Regni, qui erat quintus, Impe-  
 ratoris adscriberent. Omnibus ita di-  
 spositis Ragusinus Cardinalis surgens, ad  
 scamnum Purpuratorum recessit, quem  
 omnes dato pacis osculo medium inter  
 ipsos collocarunt, atque in Collegium re-  
 ceperunt.

## §. XCIV.

*Initium Sessionis decimæ quartæ.*

Imperator nonnisi absolutis omnibus istis *Ibid. p. 109.*  
 solemnibus recessit a loco Præsidis, or-  
 dinariam iterum sedem occupans. Car-  
 dinalis vero Vivariensis denuo Præsidem  
 egit, & re divina per Cardinalem Pifa-  
 num peracta, quidam Doctor, nomine  
 Theodoricus de Moustier, seu de Monaste-  
 rio sermonem habuit, sumpto themate ex  
 illis D. Joannis cap. 8. v. 12. verbis: *Qui*  
*sequitur me, non ambulat in tenebris.* In  
 eo Electorem Palatinum, & Carolum de  
 Malatestis tum præsentibus magnificis ce-  
 lebrabat encomiis; Finito sermone, at-  
 que absolutis quibusdam precibus, quili-  
 bet suum repetebat locum, atque alia  
 Gregorii perlegebatur Bulla, qua Carolo  
 H 2 de



Sæcul. XV. de Malatestis plena, ejusdem nomine,  
A.C. 1415. Pontificatum dimittendi potestas conce-  
 debatur. Demum Carolus postulabat,  
 utrum non magis expediret hancce ab-  
 dicationem differre, donec de Niciensi  
 colloquio notitia haberetur, compertaque  
 fierent novissima Petri de Luna consilia;  
 Cui Synodus omnis moræ impatiens per  
 Archiepiscopum Mediolanensem respon-  
 dit, cessionem Papatus Constantiæ, &  
 quidem in hac Sessione omni dilatione  
 remota esse faciendam; huic Patrum sen-  
 tentiæ & ipse Carolus Ariminensis Dy-  
 nastia acquievit.

## §. XCV.

*Plura Decreta in Concilio lecta.*

*Idem p. III.* **D**um interea Carolus de Malatestis ad  
 futuram Gregorii cessionem animum  
 adjecerat, plura legebantur decreta, quo-  
 rum priore cautum erat, ne Concilium  
 dissolveretur, donec electio Pontificis fuis-  
 set celebrata. Eodem quoque sancitum,  
 ab Imperatore petendum esse, ut aucto-  
 ritate sua electionem efficaci modo urge-  
 re, & Synodum, donec novus sufficere-  
 tur Pontifex, in tota sua libertate tueri  
 vellet, idque Sigismundus per Cæsa-  
 reum edictum executus est, ab Episco-  
 po Quinqueecclesiensi ejus Vice-Cancel-  
 lario



lario promulgatum. Idem hoc decre-  
 tum prohibuit, ne quisunque demum  
 esset, ad electionem futuri Pontificis abs-  
 que deliberatione & consensu Concilii  
 procederet. Alio statuto Synodus omnia,  
 quæ Gregorius XII. in sua reali obedien-  
 tia alias canonice hucusque gessit, aut ordi-  
 navit, approbat, rataque habet. Tertium  
 decretum explicat illam ordinationem, in  
 qua cavebatur, ne Gregorius ullo unquam  
 tempore reeligeretur in Papam, declaratque,  
 eandem non fuisse factam ad ipsius Gre-  
 gorii inhabilitatem, tanquam non esset ca-  
 pax Papatus, sed pro bono pacis Ecclesiæ,  
 & futuris scandalis, atque suspicionibus evi-  
 tandis. Aliud adhuc legebatur decre-  
 tum, quo Synodus sibi reservat jus in ca-  
 su, ubi duo vel plures Cardinales in eo-  
 dem titulo ex diversis obedientiis concurre-  
 rent, secundum bonum & æquum pro-  
 videndi. Item aliud, vi cuius Concilium  
 Cardinales obedientiæ Gregorii, ut tali  
 dignitate ornatos admittit, ac recipit,  
 conceditque, ut Ministri hujus Papæ  
 suis gauderent officiis. Declaratum quo-  
 que fuit, Gregorium pro Cardinale ha-  
 bendum, cautumque, ne ullus, qui Con-  
 cilio interesset, inde recederet absque Sy-  
 nodi licentia.

Sæcul. XV.  
 A.C. 1415.



Sæcul. XV.

A.C. 1415.

§. XCVI.

*Cessio Papatus nomine Gregorii XII.  
a Carolo de Malatestis facta.**Labbe Conc.  
to. 12. p. 118.*

Cunctis hisce perlectis Carolus Malatesta Arimini Toparcha solio satis elevato, perinde ac si pro ipso summo Pontifice fuisset erectum, considens, orationem declamavit, proposito themate ex verbis S. Lucae cap. 2. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, forte ad nomen Angeli, quod Gregorio erat, alludens. Finito sermone non admodum prolixo, alta voce abdicationis diploma recitavit sequentibus verbis: Ego Carolus de Malatestis Arimini necnon Romandiolæ rector pro nostro sanctissimo Patre Domino Gregorio XII. & S. Romanæ Ecclesiæ, atque ejusdem Papæ Procurator Generalis, habens plenum ac speciale mandatum, quemadmodum constat per Bullam authenticam S. D. N. prædicti proxime lectam, nulla oppressus aut coactus violentia, aut nullo ductus errore, sed ut omnibus aperte pateat per effectum, quanta sinceritate, quantave cordis affectione sacram unionem, & reintegrationem Christianorum prosecutus fuit, prosequaturve per viam etiam renuntiationis inclusive, pure & libere & sincere procuratoris nomine ipsius Gregorii XII. Pa-*  
*pæ*



pa Domini nostri renuntio, & cedo, expresse in his scriptis realiter & cum effectu, juri, titulo, & possessioni, quod, quem, & quam ipse habet in Papatu, & resigno coram Domino nostro Jesu Christo in hac sacrosancta Synodo & universali Concilio, sanctam Romanam & universalem Ecclesiam representante.

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

§. XCVII.

Gregorii cessio a Synodo acceptata & approbata.

Carolus facta renuntiatione locum suum mutavit, & alio se contulit, ut ostenderet, cessionem a se ore tenus factam ipso opere confirmari. Tunc Archiepiscopus Mediolanensis suggestum ascendens, jussu Cardinalis Præsidis schedulam perlegit in hanc sententiam: Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata universalem Ecclesiam Catholicam representans, cessionem, renuntiationem & resignationem pro parte illius Domini, qui in sua obedientia dicebatur Gregorius XII. juri, titulo, & possessioni, quod, quem & quam habuit in Papatu, vel nunc habet, nunc per magnificentem & potentem Dominum Carolum de Malatestis hic presentem, ejusque ad hoc procuratorem irrevocabilem, pro eodem Domino, qui dicebatur Gregorius XII. factas ad-

H 4

mittit.



Sæcul. XV. mittit, approbat, & collaudat, Post hæc  
 A.C. 1415. Hymnus Te Deum: solemniter cantabatur.

## §. XCVIII.

*Gregorius Arimini Papatum exiit.*

*Niem. apud  
 Vander  
 Hard tom. 2.  
 pag. 440.*

*Naucter.  
 gener. 48.  
 p. 414.*

Quamprimum Gregorio Arimini in Constantiensi Synodo gesta innuere, Cardinales suos, omnesque Prælatos, & Curiaæ suæ Aulicos sibi adhuc dum adhærentes in Consistorium vocat, eisque Pontificali habitu ultima vice indutus declarat, approbare se, & laudare omnia, quæ a Carolo de Malatestis Procuratore suo in Constantiensi Concilio nomine suo acta fuissent. Tum vero tiaram, ceteraque Pontificalis dignitatis insignia deposuit, contestatus, se illis nullo unquam tempore usurum, sed contentum fore, ut primus fieret Cardinalis, ac perpetuus Marchiæ Anconitanæ Legatus, qualis etiam creatus fuerat per Decretum Concilii, in qua dignitate permansit usque ad mortem, quæ biennio post Recinetti in Marchia Anconitana evenit.

## §. XCIX.

*Petrus de Luna a Synodo ad cedendum sollicitatus.*

*Labbe Conc.  
 to. 12. p. 119.*

Synodus generosam hujus Papæ abdicationem magnis celebrat laudibus, &



& Petrum de Luna ad hujus exempli i-<sup>Sæcul. XV.</sup>  
 mitationem, ac parem Papatus cessionem <sup>A.C. 1415.</sup>  
 stimulat, adjecto decem dierum termino  
 a præsentis monitione computando, si-  
 mulque comminatur omnes poenas jam-  
 jam incurfas, atque in sententia contra  
 ipsum in Pisano Concilio lata expres-  
 sas; si vero recusaverit, *Synodus illum ex*  
*nunc prout ex tunc declarat esse notorium*  
*schismaticum, antiqui schismatis nutrito-*  
*rem, incorrigibilem, pertinacem hæreticum,*  
*promissionum, votorum & juramentorum*  
*suorum transgressorem, & Ecclesiam Dei*  
*notorie scandalizantem, ac propterea omni*  
*honore & dignitate etiam Papali se reddi-*  
*disse indignum, ipsumque per sacros Cano-*  
*nes fore abjectum, & privatum . . . . in-*  
*hibendo eidem, ne se amplius pro Romano*  
*Pontifice gerere præsumat, & omnibus Chri-*  
*sti fidelibus etiamsi Imperiali, Regali, Car-*  
*dinalatus, Pontificali, aut quavis Ecclesia-*  
*sica vel sæculari dignitate præfulgeant, ne*  
*eidem Petro aut ejus successoribus obe-*  
*diant. Lecta hac sanctione omnes re-*  
*sponderunt: Placet, & sic absoluta fuit*  
*Sessio, ad quam biduo post successit de-*  
*cima quinta, in qua celebris illa Joannis*  
*Hussi causa finita fuit.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

§. C.

*Imperatoris ad Joannem Hussum  
Oratores.*

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 386.*

Die V. Julii Imperator ad Hussum misit quatuor Episcopos unacum Wenceslao de Duba, & Joanne Clumæo, qui ex illo sciscitarentur, utrum Articulos pro suis agnitos retractare, eosque, quos suos esse negaret, se non tenere, jurato asseverare velit? Quibus respondit, se suæ declarationi jam prima die Julii exhibitæ inhæsurum. Ergo e carcere trahitur Commissariis sistendus; in via cum Joanne Clumæo collocutus est, qui eundem monebat, ne, si cujusdam erroris conscius esset, retractare erubesceret, sin vero, potius omnia tormentorum genera sustineret, quam quicquam contra propriam suam conscientiam assereret, aut aliquid contra agnitam veritatem negaret. Ad quem Joannes Hussus dixit, se ex animo ac cum juramento retractare paratum esse, quamprimum ex sacris literis alicujus erroris convinci posset. Fere idem paulo post respondit, Prælati ipsum adhortantibus, ne privatas suas opiniones totius alicujus Concilii judicio anteferret. Verum cum ejus pertinacia frangi non posset, usque ad perendinum diem ad carceres reductus fuit.

§. CI.



§. CI.

Sæcul. XV.  
A.C.1415.*Polonorum scriptum contra Equites  
Teutonicos.*

In eadem sessione quidam ex Legatis Regis Poloniæ, nomine Paulus Voladimirus, ex mandato Domini sui Regis tractatum exhibuit, cui titulum inscripsit: *Demonstratio*. In eo adversus Equites Teutonicos probare moliebatur, quod ad convertendos infideles arma adhibere, aut sub hoc prætextu eorum bona invadere, Christianis licitum non sit. Hoc scripto Pontifices, & Imperatores fugillari videbantur, utpote qui Ordinis Teutonici Equitibus sub prætextu Infideles ad fidem Catholicam convertendi, quicquid ab infidelibus occupare poterant, adjudicabant, quibus privilegii Equites ad congerendas divitias, & Imperii sui fines dilatandos abusi sunt. Paulus Voladimirus in suo tractatu monstrat, hoc æquitati naturali ac legi divinæ adversari, nec Cæsarum indultu, nec Pontificum Bullis honestari posse. Hæc scriptura in hoc Nationum consensu perfecta fuit, caussaque hinc inde agitata, sed indecisa permanfit. Cum vero Imperator, & Galli condemnationem propositionum Joannis Parvi acrius urgerent, Nationes desuper

*Idem to. 3.  
p. 9. 10.*

per



Sæcul. XV. per deliberabant, hocque negotium in  
A.C. 1415. sessione sequenti terminandum, & saltem  
 primam propositionem, presso cujusvis  
 nomine, damnandam esse decernebant.

## §. CII.

*Sessio decima quinta.*

*Labbe Conc.* Die decima sexta Julii hæc sessio, ordi-  
*to. 12. p. 121.* ne decima quinta, habita est; Car-  
 dinalis Vivariensis more solito ei præfuit,  
 præsentate quoque Imperatore. Archiepis-  
 copus Gnesnensis sacrum fecit, Episcopo  
 Laudensi orationem dicente in hæc ver-  
 ba D. Pauli ad Rom. 6. v. 6. *Ut destrua-*  
*tur corpus peccati.* Qua finita Archiepis-  
 copus Rigensis Joannem Hussum e suo  
 carcere traxit, Concilio præsentandum,  
 coram quo per quatuor Episcopos Natio-  
 num deputatos, & unum Auditorem Ro-  
 tæ sistebatur, ut ad decretoriam conde-  
 mnationis sententiam procederetur.

## §. CIII.

*Decretum Synodi silentium impe-*  
*rantis.*

*Ibid. p. 122.* Antequam Judicii acta perlegerentur,  
 & sententia pronunciaretur, Episco-  
 pus Concordiensis legit decretum, quod  
 præcepit *sub pœna excommunicationis latæ*  
*sententiæ, quam contravenientes incurrerent*  
 ipso



ipso facto, & sub pœna carceris duorum mensum, ne aliquis cujuscunque status, authoritatis &c. etiamsi Imperiali, Regali, Cardinalatus, Archiepiscopali, aut Episcopali præfulgeat dignitate, ipsam sessionem seu pronuntiantes aut loquentes in ea perturbet, aut quemvis strepitum faciat. Eodem quoque decreto prohibitum fuit, ne quis clamare, contradicere, aut etiam surgere, defensare præsumat, nec impediatur, aut quemvis strepitum voce vel manibus vel pedibus faciat, uno verbo nihil agat, quod sessionem impedire valeat, imo nec alta voce loqui audeat, nisi ad hoc sit per ipsam sanctam Synodum deputatus.

Sæcul. XV.

A.C. 1415.

## §. CIV.

*Joannes Hussus coram toto cœtu.*

Lectō hoc Decreto Henricus de Piro *Ibid. p. 122.* Concilii Promotor, atque Procurator furrexit proponens, qualiter Articuli prædicati atque edocti per Joannem Hussum in Bohemice Regno & alibi, essent hæretici, seditiosi, captiosi, aurium piarum offensivi proin a tota Synodo Constantiensi condemnandi, librique, ex quibus essent extracti, igne comburendi. Qua propositione facta quinquaginta octo Articuli ex Wiclefi libris decerpti legebantur, quorum nonnulli erant diversi ab iis, quos supra indicavimus. His ergo articulis denuo dam-

*Vid. sup.*

§. XXVIII.

natis



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

natis ad Joannis Hussi propositiones deventum est, quarum nonnisi aliquæ legébantur, quia reliquæ jam sæpius publice prælectæ fuerant. Primus lectus est Articulus de Ecclesia, quem Joannes iterum, uti in primo examine, defendit, ceteros quoque tueri pergebat, quocirca Patres ad accusationum capita testibus comprobata descenderunt. Accusatus est, quod docuisset, panem materiale in Sacramento Eucharistiæ manere post consecrationem; verum se ejusmodi errorem unquam credidisse, aut docuisse, non dissimulanter negavit. Item se unquam quartam in Trinitate Personam admisisse inficiatus est. Attamen suam damnationem esse decretam comperiens, ab hac sententia ad Christum Dominum, ceu Innocentiæ suæ, ac judicium injustitiæ testem, ejusque tribunal appellavit. Constantem enim se reum esse negavit; unde hæc ipsa appellatio tanquam novum scelus ipsi crimini dabatur, ipse vero ab omni retractatione, aut submissione alienissimus hanc provocationem justissimam, & maxime legitimam esse propugnavit. Hisce peractis Episcopus Concordiensis requirente Promotore duas legit sententias, quarum una ad ignem condemnabantur ejus libri, altera ipse degradandus pronuntiabatur.

§. CV.



## §. CV.

Sæcul. XV.  
A.C.1415.*Sententia Joannis Hussi condemnatoria.*

Cum binæ hæ legerentur sententiæ, Joannes Hussus in genua provolutus *Ibid. p. 127.* & quandoque interloquens, objectum contumaciæ crimen sibi falso imponi quebatur, ac pro suis iudicibus, atque accusatoribus veniam a Deo precatus est. Primam condemnationis suæ sententiam exhibemus: *Habita prius plenaria informatione, & diligenti deliberatione Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & cæterorum Prælatorum, & Doctorum sacra Synodus declarat articulos infra scriptos, qui habita collatione reperti fuerunt contineri in ejus libris, & quos confessus fuit in suis libris contineri, non esse catholicos &c. ideo libros prædictos & doctrinam, & singulos alios tractatus in latino sive vulgari Bohemico per ipsum editos aut in quocunque alio idiomate translatos reprobat, atque condemnat, ipsos comburendos publice, & solemniter in Civitate Constantiensi. Altera sententia hæc habet: Christi nomine invocato, hæc sacrosancta Synodus solum Deum præ oculis habens, pronunciat & declarat, Joannem Huss fuisse & esse verum & manifestum hæreticum, ipsum-  
que*



Sæcul. XV. A. C. 1415. *que errores, & hæreses ab Ecclesia Dei dudum damnatas, & plurima scandalosa, piarum aurium offensiva, temeraria, & seditiosa dogmatizasse, & publice prædicasse, populum Christianum in Regno Bohemice seduxisse. Idcirco hæc S. Synodus eundem Joannem Huss ab ordine sacerdotali & aliis ordinibus deponendum, & degradandum fore declarat, & decernit, committens Archiepiscopo Mediolanensi & sex aliis Episcopis, ut dictam degradationem, secundum quod ordo juris requirit, debite exequantur: Hæc S. Synodus Joannem Huss, attento quod Ecclesia Dei non habeat ultra quid gerere valeat, iudicio sæculari relinquere, & ipsum Curie sæculari relinquendum fore decernit.*

## §. CVI.

*Hussus degradatus.*

*Ibid. p. 143.* **E**piscopi, quibus degradationis sententiæ executio commissâ fuerat, Joannem Hussum vestes sacerdotales induere, calicemque in manibus gestare iusserunt. Quo factò, Prælati iterum iterumque eum hortati sunt, ut amore suæ salutis, ac proprii honoris errores suos retractaret. Ast negat id se facturum, ne per ejusmodi abjurationem hypocrisis, atque impietate plenam, populo offensionem præberet, simulque innocentem se esse



esse, publice testatus est. Tunc ergo E-  
 piscopi eum a pedaneo scabello descen-  
 dere præcipiunt, ac præprimis illi cali-  
 cem e manibus eripiunt, ex libro Ponti-  
 ficali hæc pronunciantes verba: *O Ju-  
 da maledicte &c.* Postmodum successivo or-  
 dine illum omnibus exuunt sacris vestibus,  
 ejusque capillos ad speciem crucis ab-  
 scindunt, ut nullum amplius coronæ si-  
 gnum appareret. Porro sic degradato  
 papyraceam unius cubiti & pyramidalis  
 figuræ mitram imponunt, in qua tres  
 diaboli depicti, hæcque verba inscripta  
 legebantur: *Hic est Hæresiarcha.*

Sæcul. XV.  
 A.C. 1415.

§. CVII.

*Brachio sæculari traditus.*

Post hæc ab Ecclesia ejicitur, & ut lai-  
 cus publice declaratus, brachio sæ-  
 culari traditur, post Sessionem ad extre-  
 mum supplicium deducendus.

§. CVIII.

*Joannis Parvi propositio damnata.*

Dehinc Patres Joannis Parvi causam  
 denuo tractandam susceperunt; Cum  
 autem silentio suppressis Auctoribus, eo-  
 rumque sociis duntaxat propositionem  
 Generalem, vi cujus quilibet privatus ty-  
 rannum quocunque modo, non obstante  
 jurejurando occidere posset, damnari  
 I sta-

Labbe Cont.  
 to. 12. p. 144.

*Hist. Eccle/. Tom. XXVI.*



Sæcul. XV. A. C. 1415. statuissent, istud eorum consilium in hac Sessione executioni dederunt, sequenti tenore: *Præcipua sollicitudine volens hæc sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum & hæresum in diversis mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur, & ad hoc collecta est, nuper accepit, quod nonnullæ assertiones erroneæ in fide & bonis moribus, ac multipliciter scandalosæ, totiusque Reipublicæ statum & ordinem subvertere molientes, dogmatizatae sunt, inter quas hæc delata est: Quilibet tyrannus potest, & debet licite, & meritorie occidi per quemcunque vasallum suum, vel subditum, etiamsi per clanculares insidias & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocunque præstito juramento, seu confæderatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato cujuscunque. Adversus hunc errorem satagens hæc sacrosancta Synodus insurgere, præhabita deliberatione matura declarat, decernit, & definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & moribus, ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem reprobat, & condemnat. Declarat insuper, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sint hæretici, & tanquam tales juxta canonicas sanctiones puniendi.*



## §. CIX.

*Bulla contra membrorum Synodaliū  
aggressores.*

Cum vix fieri posset, ut non subinde *Ibid. p. 145.*  
tumultus aliqui, atque excessus in ci- *Et seq.*  
vitate Constantiensi orirentur, in qua tam  
copiosa hominum multitudo diversæ  
conditionis, atque diversis ex negotiis  
confluxerat, hinc Synodus sub finem  
hujus Sessionis severam edidit Constitu-  
tionem, *contra omnes Et singulos cujuscun-*  
*que dignitatis vel gradus fuerint, etiamsi*  
*Pontificali, imperiali, regali vel alia qua-*  
*cunque Ecclesiastica vel sæculari præfulgeant*  
*dignitate, qui ad Synodum venientes, aut*  
*Constantiæ morantes, vel inde recedentes oc-*  
*cidere aut bonis suis spoliare, vel injuriis*  
*afficere præsumpserint. Eademque leve-*  
*ritate perstrinxit illos, qui ejusmodi delin-*  
*quentes reciperent, vel eis auxilium, consi-*  
*lium, favoremque præstarent. Soluta Ses-*  
*sione libri Joannis Husi fuerunt flammis*  
*traditi in platea Palatii Episcopalis, præ-*  
*sentibus Vaurenfi & Olorensi Episcopis,*  
*duobus Legum Licentiatis, aliisque com-*  
*pluribus.*



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

§. CX.

*Hussus ad rogam deductus, & combustus.*

*Reichental*  
*p. 206.*

PERACTA degradatione, Imperator Electori Palatino negotium dedit, comprehenderet Hussum, eumque judicum manibus consignaret. Ergo Constantiensi Magistratui traditur, a quo unacum vestibus, cunctisque, quæ secum ferebat, ad rogam damnatur; Lictores urbis lata sententia illico eumprehendunt, atque ad locum supplicii per plateam Episcopalis palatii deducunt, eo consilio, ut ipse suos libros comburi conspiceret. Transiens populum alloquitur, affirmans, se non propter hæresin, sed per inimicorum fraudes ad supplicium rapi. In egressu identidem Psalmos recitare, & nomen JESU invocare audiebatur, semper invictum animum, atque ementitæ pietatis speciem præseferens: cumque sacræ poenitentiae administrum postularet, accurrit quidam Sacerdos, nomine Udalricus Schorand, scientiæ ac probitatis fama clarus; quoniam vero hic Hussio declarabat, illum a se criminum vinculis exsolvi haud posse, nisi prius errores, ob quos damnatus esset, revocaret, respondit Hussus: non opus est mihi confessione, nullius enim peccati gravis me reum



reum agnosco. Postea, ubi ad populum verba facere parabat, Palatinus Elector carnificem monuit, sententiam exequeretur.

Sæcul. XV.  
A.C.1415.

Ergo ad palum hunc in finem terræ infixum alligatur, vultu ad occasum verso, circumcirca disponuntur ligna ad comburendum; antequam vero subderetur ignis, Elector Palatinus necnon Comes de Oppenheim Imperii Marescallus Hussum adeunt, illumque denuo hortantur, ut errores suos revocaret, vitæ suæ consulturus. Ast cum ille a sua hæresi nullius persuasus, atque precibus dimoveri posset, quin imo se sanguine suo doctrinam, & scripta confirmaturum declararet, Elector ab eo discessit. Tunc lictores accendunt ligna, & densus flammaram turbo, venti impetu in faciem Hussi impulsus, os obduravit, animamque extrusit. Cineres ejus sollicite collecti, in Rhenum projecti sunt, ne discipuli, ejusque sectatores, velut reliquias illos in Bohemiam transferrent. Atque Æneas Sylvius ait: Hussitas ex eo solo terram abstulisse, in quo ignis fuit, eamque velut rem sacram secum attulisse in Patriam. Idem Auctor subjungit: Nemo Philosophorum tam forti animo mortem per tulisse traditur, quam iste Hæresiarcha incendium.

Æn. Sylv.  
hist. Boh.  
c.36. p.75.



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

§. CXI.

*Scripta Joannis Hussi.*

*Dupin. Bibl.  
Aucter. tom.  
12.*

Composuit Hussus in suo carcere tractatus de præceptis Dei, de oratione Dominica, de peccato mortali, de matrimonio, de cognitione, & amore Dei, de tribus inimicis hominis, & de septem peccatis capitalibus, de poenitentia, & Sacramento corporis & sanguinis Christi, & paucis diebus post suum Constantiæ adventum valde succinctum conscripsit tractatum de Communione sub utraque specie. In vinculis quoque consarcinavit responsum ad propositiones ex libris suis excerptas, & ipsi objectas, necnon & tres sermones incæpit, unum de sufficientia legis Christi, alterum, quo fidem suam circa ultimos symboli Articulos explicavit, & tertium denique de pace, exstant insuper aliquæ Epistolæ ad suos Discipulos Bohemos. Omnes isti tractatus, & cetera scripta, de quibus in decursu hujus historiæ mentionem fecimus, in primo Joannis Hussi operum tomo reperiuntur, Norimbergæ MDLVIII. typis impressa. Secundus tomus complectitur Concordantiam quatuor Evangelistarum, cum notis moralibus, plures sermones, Commentarium in septem prima capita primæ Epistolæ ad Corinthios,

Com-



Commentarios in septem Epistolas Ca-  
 nonicas, & in psalmos, a centesimo nono  
 usque ad centesimum decimum nonum,  
 item scriptum adversus hanc propositionem:  
*Sacerdos est Creator Creatoris*, in  
 eo tamen, sicut in reliquis suis operibus  
 transubstantiationem admittit; in eodem  
 tomo habetur tractatus de adoratione i-  
 maginum, in quo Humanitatem Christi  
 non latriæ, sed solum hyperdulæ cultu  
 adorandam, & imagines Christi nec la-  
 triæ, nec quovis alio interiori cultu ve-  
 nerandas esse tenet, quamvis coram eis  
 genua flectere, orare, cereos apponere,  
 & externa adorationis signa ad rem re-  
 præsentatam respectiva exhibere liceret.

Sæcul. XV.  
 A.C. 1415.

§. CXII.

*Judicium Hæreticorum de gestis Con-  
 ciliii in caussa Hussi.*

Non eadem est scriptorum sententia de  
 gestis Synodi in caussa Joannis Hus-  
 si, quem ab Imperatore publicæ fidei li-  
 teris munitum fuisse affirmant. Sed hæc  
 ipsa judiciorum diversitas ortum trahit  
 a varietate Religionis, quam quisque  
 profitetur Historicus. Protestantes cum  
 eorum vel maxime intersit, hunc hære-  
 siarcham vindicari, utpote quem inter se-  
 ctæ suæ antesignanos haud infimo loco  
 habent, Synodi acta omnino condem-  
 nant,



Sæcul. XV. A.C. 1415. nant, Patresque fidem publicam, honestatem, & gentium jura turpissimo modo violasse criminantur, eoquod Virum hunc carceri mancipatum morti tradidissent.

## §. CXIII.

*Synodi causa ab Orthodoxis vindicata.*

*Maimburg  
hist.  
schism. occid.  
to. 2. p. 330.*

Ex adverso Catholici tenent, datas quidem fuisse Hussi securitatis literas, ea tamen lege, ut in Concilio compareret, suæque doctrinæ rationem redderet, si vero minimi erroris convinceretur, omnibus in hæreticos latis subjaceret pœnis; cum ergo Joannes Hussus hanc conditionem, quæ unicum publicæ fidei fundamentum erat, non adimpleverit, haud mirum, quod ejusmodi literis pertinaciæ suæ impunitatem consecutus non fuerit, quippe quam nec Joannes petere, nec Concilium concedere valuisset, alio ex fine, quam ut suam doctrinam contra adversarios tueretur, seque Concilio subjiceret, quod ipse tanquam œcumenicum, suamque judicem agnovit, prout in suis libellis publice affixis falsus est. Igitur hisce literis securitati suæ duntaxat cautum erat sub conditione, si doctrinam suam ab errore liberaret, prout se facturum spondit, cum vero promissis haud stetisset, jure condemnatus fuit.

Præ-



Præterea Joannes Huffus nullas a Sæcul. XV.  
A.C.1415.  
Synodo impetravit publicæ fidei literas, quamvis Varillesius absque omni ratione affirmet, illum duplici impunitatis syngrapha diversis temporibus data instructum fuisse, quarum alteram accepisset ab Imperatore, alteram ad preces Synodi a Magistratu Constantiensi a priori diversam, in quibus expressum legeretur, quod ejus securitati tantum eo fine provisum esset, ut se a criminibus imputatis purgaret, suosque accusatores calumniæ postularet. Verum quia nec ipse Joannes Huffus in suis epistolis, nec Joannes Clumæus in diversis supplicibus libellis, quos pro amico suo porrexerat, vel minimam posterioris mentionem fecerant, constat, nec Concilium ejusmodi literas dedisse, sed duntaxat Cæsareas extitisse. Et hac ratione usi sunt Scriptorum nonnulli, ut demonstrarent, Patres non fuisse obstrictos, revereri publicam fidem a Sigismundo datam Viro hæresis accusato. lidem persuaserunt Imperatori, quod nequaquam violatæ fidei accusari posset, quippe Concilium, quod est supra Imperatorem, Joanni Husso nullam poenæ immunitatem promisisset, nec ipse Cæsar illam absque Synodi consensu, & præcipue, ubi agitur de caussa fidei, Husso spondere potuisset: hanc fuisse Synodi mentem ex ipsa allocutione Sigismundi



Sæcul. XV. ad Hussum facta probatur. Nam eidem  
 A.C. 1415. dixerat: plurimorum opinionem esse,  
 Cæsarem Viro hæretico vel de hæresi sus-  
 pecto ullum auxilium præbendi, aut pro-  
 tegendi facultatem non habuisse; & sane  
 hoc idem majus robur accipit ex du-  
 plici decreto, quo Synodus Imperatorem  
 a fractæ fidei suspicione liberare, & sini-  
 stros rumores contra ipsum sparsos ob  
 hæc literas ab eo avertere conata fuit. (\*)

## §. CXIV.

*Sessio decima sexta.*

Labbe Conc. Absoluta Joannis Hussi caussa, sumpto-  
 to. 12. p. 148. que de eo supplicio Synodus suas pro-  
 secuta

---

(\*) *Nec Synodus nec Imperator in hac fue-  
 re sententia, quasi hæretico data fides non esset  
 servanda, sed potius Imperatorem nunquam fi-  
 dem suam obstrinxisse aliter, quam quod in ac-  
 cessu ad Concilium Hussus comprehendere non  
 posset, in Concilio libere fidei suæ rationem red-  
 deret, si vero erroris convinceretur, Synodi de-  
 creto subjaceret. Nulla autem salvi conductus  
 formula exprimit, ut spretis Concilii decretis,  
 & pertinaci errorum defensione protervius con-  
 tinuata impunis in Bohemiam reverteretur.  
 Videatur ipsius Sigismundi supplex libellus ad  
 Præsules Synodi datus, & Imperatoris mens  
 patebit. De mente Synodi constat ex declara-  
 tione adducenda in §. CXLVII.*



secuta est Sessiones. Undecima Julii die, Secul. XV.  
A.C. 1415.  
quæ erat feria quinta, celebrata est Sessio ordine decima sexta, in qua fere nihil speciali nota dignum agitabatur. Verum appropinquante tempore, quo Imperator Niciam petiturus erat, quatuordecim nominantur Commissarii, tres Episcopi, & undecim Doctores; inter quos etiam erat Benedictus Gentianus, qui omnes Imperatorem comitarentur, suisque consiliis juvarent. Ex istis autem præcipuus erat Archiepiscopus Turonensis; cunctis tamen dabatur plena potestas, juncto Imperatoris consilio, omnia tentandi, quæ ad persuadendam Benedicto XIII. abdicationem, & restituendam Ecclesiæ pacem magis expedire judicassent. Porro nullus ex Cardinalibus Sigismundi comes designabatur; cum enim plerique ex diversis essent obedientiis, minus idonei ad tale propositum feliciter exequendum, atque unionis negotium promovendum videbantur.

## §. CXV.

*Statuta particularia hujus Sessionis.*

Expedita hac deputatione Synodus quatuor nominabat Episcopos, quibus datum est negotium, Constantiam revocarent Prælatos, & Curia Romanæ Officiales clandestine, ac absque licentia inde

*Ibid. p. 151.*

inde



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

inde recedentes. Quatuor etiam Nationum Præsides constituebantur, qui discere petentium causas discuterent. Edicta quoque in Curia Romana expediri solita, deinceps Cardinalis Vivariensis nomine Concilii subscribere, ac signare jubebatur; item Prælati pauperibus Constantiæ degentibus, sumptus ex ærario Pontificio suppeditari, decretum fuit. Tandem statutum, Gregorii XII. cessionis, & Joannis XXIII. depositionis acta Cæsari descripta traderentur, ut iisdem Niciæ exhibitis, Benedictum ad æmulum suorum imitationem inducere posset.

## §. CXVI.

*Bulla contra Carolum de Dueil & Henricum de Turre.*

Post hæc Bertholdus de Wildungen legit Bullam Concilii ad Parisiensem, Metensem, Tullensem, & Leonensem Episcopos directam, quæ data fuit ob atrox facinus contra Carcaffonensem, & Ebroicensem Antistites commissum, item contra tres Doctores, nempe Guilielmum de Merla Sylvanectensem Decanum, Benedictum Gentianum, & Jacobum de Spais Medicinæ Doctorem. Hos jussu Concilii ad Gallorum aulam ex negotio profectos, duo Nobiles Carolus de Dueil, & Henricus de Turre in Ducatu Barensi adorti

*Ibid. p. 152.*



adorti sunt, ac quibusdam vulneratis, a-  
 liis interemptis ceteros bonis suis spo-  
 liatos tandem in castrum, quod ipsis pa-  
 rebat, ligatos incluserunt; unde non nisi  
 Barenfis & Lotharingi Ducum auxilio e-  
 vaserant. Detulit crimen Henricus de  
 Piro Procurator, quo factum, ut Syno-  
 dus Constitutionem ad laudatos quatuor  
 Præsules daret, juberetque, exposcerent  
 a reis hujus attentati poenas, etiam in-  
 vocato, si opus fuerit, brachio sæculari.  
 In hac Constitutione Barenfis & Lo-  
 tharingus Duces encomiis celebrantur,  
 eisdemque pro ardore, quo Synodi So-  
 cios defenderunt, grates rependuntur.  
 Hæc tota est in hac Sessione gestorum  
 series.

§. CXVII.

*Sessio decima septima.*

Die decima quinta Julii celebrata est  
 sessio decima septima, cui Impera-  
 tor adstitit cum plurimis Principibus, Du-  
 cibus, Comitibus, aliisque Proceribus;  
 valedixit quoque Concilio iter suum ag-  
 gressurus, quod sequentibus ceremoniis  
 factum legimus.

§. CXVIII.

*Ceremoniæ in discessu Imperatoris  
 observatæ.*

Igitur Imperator, habitu Imperiali non  
 vestitus

Sæcul. XV.  
 A. C. 1415.

Ibid. p. 155.

Spond. an.  
 1415. n. 54.



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

vestitus, capite nudus, Cardinalibus Laudensi & Ursino ejus latera stipantibus, coram Altari in genua procumbit. Postmodum decantabantur litanie, & dum illa recitabantur verba, *ut Ecclesiam &c.* Cardinalis Vivariensis Præses ternis vicibus Deum precatus est, ut Cæsarem in itinere suo, quod tanquam defensor, & Advocatus Ecclesie suscipere, protegere & conservare, ipsum ab omnibus inimicis suis visibilibus, & invisibilibus defendere, salvum & incolumem reducere dignetur, & ad quamlibet supplicationem chorus respondit: *Te rogamus audi nos.* Alias adhuc subjunxit preces pro incolumitate Imperatoris, cui benedictionem solemnem impertivit decantatis hisce verbis: *Salvum fac servum tuum Domine, nihil proficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponat nocere ei. Esto ei Domine Turris fortitudinis.* Peractis his solemnibus Imperator locum suum repetiit, atque Episcopus Concordiensis quædam legit Decreta, quæ mox indicabimus.

§. CXIX.

*Decretum Synodi in favorem Angeli Corarii.*

*Labbe Conc.* Primo decreto Gregorius XII. declaratur Cardinalis Decanus, & perpetuus Legatus a latere in Marchia Anconitana,  
*to. 12. p. 157.*



na, & in Fabatiensi, alias Farsensi distri-  
ctu cum omnibus facultatibus, & juribus  
huic dignitati annexis. Insuper Syno-  
dus Gregorium plene in tantum absolvit,  
ut *ratione spiritualis, & temporalis admi-  
nistrationis, tempore Papatus sui veri aut  
putativi, nec possit, nec debeat de actis, ge-  
stis, & ordinatis aut aliis quibuscunque ad  
cujuscunque personæ instantiam etiamsi Pa-  
palis, Imperialis, vel Regalis existat, qua-  
litercunque conveniri vel inquietari, non ob-  
stantibus, quoad omnia & singula supradicta  
tam Canonicis quam Apostolicis generalium  
quoque Conciliorum Constitutionibus contra-  
riis quibuscunque.* Eadem quoque Syno-  
dus statuit, quod quilibet futurus Romanus  
Pontifex omnia & singula supradicta ap-  
probet & ratificet, & declarat, nullum in  
Pontificem eligi posse, nisi ea omnia ser-  
vare juramenti vinculo se obstringat.

Sæcul. XV.

A. C. 1415.

## §. CXX.

*Aliud decretum pro securitate Imperatoris.*

Alterum decretum securitati Imperato-  
ris consulit, atque statuit pœnam ex-  
communicationis ipso facto incurrendæ,  
& privationis omnium dignitatum tam  
sæcularium quam Ecclesiasticarum, con-  
tra eos, qui quocunque modo Impera-  
torem cum suo comitatu in itinere impe-  
dire,

Ibid. p. 160.



Sæcul. XV. dire, aut molestiam afferre præsumerent.  
A.C. 1415. Nec supervacanea fuit provida hæc Synodi cautio; quippe plures jam in mortem Sigismundi conspirabant, & nonnulli tradunt Historici, Ducem Austriæ emisisse sicarios, qui eum Perpiniani degentem interficerent, id & factum fuisse, nisi Elector Palatinus Sigismundo hoc periculum manifestasset.

## §. CXXI.

*Missæ & supplicatio pro felici itinere Cæsaris indicta.*

*Windeck  
 hist. Sigism.  
 cap. 18.*

Denique tertio decretum fuit, ut singulis Dominicis, quamdiu Imperator absens esset, supplicatio generalis fieret, & Missa solemnis ad impetrandum faustum itineris sui successum, & *Processioni unacum Missæ sacrificio omnes Prælati in hoc Concilio existentes interesse teneantur vestimentis Pontificalibus (ut est moris) induti*, concessitque dicta Synodus *cuilibet præmissorum interessenti centum dies Indulgentiarum, & totidem cuilibet Presbytero, eo sine unam Missam celebranti & aliis, qui devote semel in die PATER NOSTER ET AVE MARIA pro dicta incolumitate orando dixerint, quadraginta dierum indulgentias.* Quibus omnibus decretis unanimi voto approbata Sessio soluta est.

## §. CXXII.



## §. CXXII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1415.*Hieronymus Pragensis secundo exami-  
natus.*

Sessione sequenti ultra festum B. V. Mariæ Assumptæ mensis Augusti dilata, totum hoc temporis intervallum diversis aliis negotiis discutiendis sacrabatur. Præprimis Patrum studia occupabat Hieronymi Pragensis caussa, quam die undevicesima Julii denuo ad examen vocabant, sperantes, eum Joannis Hussi supplicio ad saniora reductum pertinaciam in primo examine XXIII. Maji exhibitam depositurum. De cujus interrogatoriis hoc unicum constat, quod Hieronymus de articulis sibi objectis examinatus, ad articulum de Eucharistia responderit, substantiam singularem præsentis frustuli panis transsubstantiari in corpus Christi, substantiam vero universalem panis manere; ex hac ratione, inquit Infantius, quia Joannem Hustum secutus dari universale a parte rei tenuit.

## §. CXXIII.

*Oratio Gersonii pro discessu  
Cæsaris.*

Illuxit dies discessui Imperatoris præsi- *Gerson. tom.*  
xus, quidam vigesimum primum Julii, *2. p. 273.*  
Theodoricus Niemus decimum octavum,  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI. K. alii*



Sæcul. XV.  
A.C. 1415. alii decimum nonum assignant. Gersonius, biduo vel triduo elapso, occasione hujus itineris, & supplicationum institutionum sermonem habuit, assumpto Themate ex Psalmi LXVII. versu 20. *Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.* In eo exposuit in pacis negotio navatam hucusque feliciter Concilii operam & submota tandem obstacula, quæ extinctionem schismatis, extirpationem hæresum, ac morum reformationem retardabant. Adstruit quoque auctoritatem Synodi Pontificia superiorem in materia fidei, & reformationis, quam sententiam pluribus firmat argumentis. Ceterum Oratio hæc effectu non caruit, nam postera die generalis indicta est Congregatio, in qua de conclusionibus seu regulis a Gersonio stabilitis, necnon de modo eas in usum deducendi deliberatum fuit. Diversa etiam media proposuit Cardinalis Florentinus, quorum ope reformatio Ecclesiæ in Capite & membris non sine prospero eventu suscipi posset.

## §. CXXIV.

*Synodi epistola ad Bohemos de Hussi supplicio.*

*Niem. apud  
Vander  
Hardt to. 2.  
p. 445.*

In alia quadam Congregatione sancivit Synodus, ut datis literis Bohemi de suppli-



supplicio Joannis Hussi edocerentur, si- Sæcul. XV.  
A.C. 1415.  
mulque Conrado Pragensi Archiepiscopo  
præciperetur, coerceret Hussi sequaces.  
Has literas Littomisliensis Episcopus ex  
mandato Synodi scripsit in hanc senten-  
tiam: „ Etsi Joannes Hussus plures arti-  
„ culos erroneos, & fidei contrarios tan-  
„ quam suos agnovisset, nihilominus con-  
„ tra eum juxta juris rigorem nihil de-  
„ cretum, nisi postquam ad extrema  
„ prolapsus, atque præsentibus Impera-  
„ tore, totoque Synodi confessu pluries  
„ ac specialiter auditus fuisset.„ Post-  
modum adhortatur Bohemos, ut pari  
studio animati hæresis extirpationi in-  
cumberent, ipsumque Bohemiæ regnum  
ad eundem religionis fervorem excita-  
rent. Cum vero hæc epistola Archiepis-  
cupo, Capitulo, & Pragensi Clero inscri-  
pta esset, his ipsis Synodus omnino præ-  
cepit, omnibus viribus sectæ hujus elimi-  
nationem procurarent, adjecta pœna ex-  
communicationis, privationis beneficiorum,  
ac ipsius etiam degradationis.

## §. CXXV.

*Litteræ supplices Regis Sueciæ pro  
Canonizatione trium Beatorum.*

Rex Sueciæ, ejusque conjux, postquam *Vander-  
jam antea a Joanne XXIII. S. Birgit-Hardt tom. 4*  
tam in Coelium numero reponi supplices *v. 490.*

K 2

petiis-



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

petiissent, iteratas ad Synodum dederunt literas, quibus pares, publicosque honores aliis adhuc tribus popularibus suis decerni efflagitabant. Hi erant Nicolaus Episcopus Lincopiensis Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo fatis functus, Brumulphus Scarrensis Episcopus mortuus Anno supra millesimum trecentesimum decimo septimo, & Nigridis e S. Augustini familia. Has preces Suecorum Legati absente ac Papa deposito ad Synodum deferebant; idcirco hanc in rem habita est Congregatio. Nonnullorum fert opinio, Gersonium vel tum vel occasione Canonizationis S. Birgittæ, de qua jam superius, suum elucubrasse tractatum *de Probatione Spirituum*, in quo ad discernendas revelationes, quasdam statuit regulas, & ad calcem sui opusculi recenset exemplum puellæ Burgensis in Brescia, quæ pluribus persuadebat, a se animas ex inferno liberari; mentis excessus frequentes fingebat, & mirabilia divinitus didicisse jactitabat, *miræ quoque erat abstinentiæ, sed capta veritatem confessa est, cuncta ista cupiditatis occasione finxisse, ut hoc modo suæ paupertati subveniret.* Gersonius in eodem tractatu utilissimas tradit regulas, quarum usu seductionis atque illusionis periculum evitari possit. Præcipue commendat, *sacrarum Scripturarum eruditionem diligenti pioque studio* acqui-



acquisitam, simul tamen fatetur, quod non possit aut vix possit humanitus fieri in ejusmodi rebus certum iudicium, sed requiratur donum Spiritus Sancti. Dicit insuper summa cautela credendum visionibus, quas vel quis se habuisse putat, vel alii expertos se esse jactitant, & propriæ experientiæ testimonio plurimas illusiones, & imposturas in ejusmodi rebus intervenire testatur.

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

§. CXXVI.

*Repulsa Sueciæ Regi a Synodo data.*

Ignoramus utrum oratio Gersonii causa fuerit, quod Synodus precibus Regis Sueciæ non annuerit, id certum tamen est, quod hæc Canonizatio tunc locum non invenerit, sed Oratoribus Suecis injunctum fuerit, futuro Pontifici luculentam magis causæ expositionem perferrent. Postea agebatur de celebranda sessione decima octava, quæ fuit prima, ex quo Imperator peregre profectus est.

§. CXXVII.

*Sessio decima octava.*

Hæc igitur Sessio celebrata est Sabbato die decima septima Augusti, præside Cardinale Vivariensi, & Electore Palatino, absentis Imperatoris vices gerente, tan-

Labbe Conc.  
to. 12. p. 161.

K 3 quam



Sæcul. XV. quam Concilii protectore. Post Missam  
 A.C. 1415. de festo Assumptionis B. V. Mariæ ab E-  
 piscopo Olotrensi decantatam, & absolu-  
 tis precibus consuetis Sessioni initium da-  
 batur a lectione Decreti jam antea con-  
 diti, quo quatuor Episcoporum nomina-  
 tio videlicet Pistoriensis, Vaurenſis, Pla-  
 centini, & Sarisberienſis confirmabatur,  
 hi cum aliis quatuor nationum Deputatis  
 seligebantur, ut caussas, & querelas ad  
 Synodum delatas exciperent, desuper us-  
 que ad sententiam definitivam exclusi-  
 ve iudicaturi. Alio decreto statuebatur,  
 quod Concilii Bullis in omnibus caussis,  
 atque negotiis, eadem fides, ac submissio  
 habeatur, perinde ac Sedis Apostolicæ  
 diplomatibus, & contravenientes, vel ha-  
 sce Bullas adulterantes, aut in abusum  
 trahentes, secundum rigorem Legis pu-  
 niantur.

## §. CXXVIII.

*Plura alia decreta leguntur.*

*ibid p. 162.* Insuper ordinavit Synodus, quod omnes  
 literæ super omnibus & singulis gra-  
 tiis per Joannem XXIII. a suo Ponti-  
 ficatu usque ad ipsius suspensionem conces-  
 sæ, debeant per Cardinalem Ostiensem Ec-  
 clesiæ Vicecancellarium, & quatuor sibi  
 adjunctos de quatuor Nationibus videlicet  
 Episcopos Concordiensem pro Italica, Ari-  
 minensem



*minensem pro Gallica, & Theodoricum de Niem pro Germanica, Episcopum vero Sarrisberienssem pro Anglica, sub nomine & sigillo Synodi expediri, expectationibus, seu gratiis expectativis, ut vocant, aliisque exorbitantiis duntaxat exceptis. Tandem sex nominabantur Oratores, in Italiam mittendi, ut cum Gregorio ejusque Cardinalibus unionis Ecclesiæ negotium perficerent, in qua Legatione Principales Archiepiscopus Mediolanensis, & Ragusinus erant. Postea Sessio sequens ad vigesimam tertiam Septembris diem indicta est.*

Sæcul. XV.  
A.C.1415.

§. CXXIX.

*Consultatio Synodi adversus Turcarum progressus.*

**T**oto intermedio tempore in diversis negotiis pertractandis occupabantur Patres. Postero die Bertrandus Vacherius Carmelita & Theologiæ Professor Montispeffulanus Orationem habuit de necessitate reformandi Ecclesiam. Interim cum Turcæ Sigismundi absentiam in rem suam verterent, atque Hungariam atrociter devastarent, demum etiam Dalmatiam & Sclavoniam invadentes, omnia ferro, flammaque delerent, immo eodem crudelitatis impetu ad ipsas etiam Comitatus Cilleiensis, qui Sigismundi focer erat, ditiones, necnon ad Aquilejensium, &

*Niem apud Vander Hardt to.2. p. 416.*



Sæcul. XV. A.C. 1475. Salisburgensium confinia infestis armis penetrarent, ubi plusquam triginta millia Christianorum in servitutem abstracta, omnesque Ecclesiæ spoliatae fuerunt, Synodus Provinciarum, quæ Cæsari parebant, saluti consulere studuit. Quare datis ad Regem Poloniæ literis pro sublevanda Hungarorum calamitate ejus opem implorabat, misso etiam Episcopo Astensensi, ut Hungariæ Proceres ad servandam Regi suo absenti fidelitatem adhortaretur.

## §. CXXX.

*Libellus Gersonii in causa Joannis Parvi Synodo oblatus.*

*Gerson. to. 5. p. 380.* Postea examen propositionum Joannis Parvi denuo susceptum est. Equidem Gersonius vigesima die mensis Augusti libellum porrexit, in quo nomine Imperatoris, Regis Galliæ, & Universitatis Parisiensis, novem illarum propositionum damnationem vehementer urgebat. Eodem die alii quatuor Doctores in eandem rem alterum exhibuerunt Libellum. Nihilominus causam hanc amicabili compositione terminandam esse sperabatur, partim quia ipsa Academia hoc negotium segnius urgebat, imo rumor erat, eam disertis verbis declarasse, quod Joannem Parvum Propositionum delatarum auctorem fuisse haud crederet, nec etiam Gersonianas



nianas criminationes unquam ratas ha-  
 buisset, partim vero, quia Rex Galliae  
 cum Burgundiae Duce in gratiam redi-  
 bat, hacque reconciliatione per literas  
 trigesima prima Augusti datas publica-  
 tas, suis subditis inhibebat, ne verbis vel fa-  
 ctis Ducem hunc appetere praesumerent.  
 Haec eadem epistola missa fuit Episcopo  
 Atrebatensi. At nihilo secius causa  
 haec utriusque magna contentione agita-  
 ta est, quia praefatae Literae Regis Gal-  
 liae, & Academiae declaratio necdum  
 Constantiam pervenerant.

## §. CXXXI.

*Scripta contra Gersonium, Petrum de  
 Alliaco, & Imperatorem.*

Tanta fervebat animorum aversio, ut  
 contra Gersonium, Cardinalem Ca-  
 meracensem, & Imperatorem Libelli a-  
 maro stylo concepti in vulgus spargerentur.  
 In aliquo ejusmodi scripto Gerso-  
 nius tanquam perturbator traducitur,  
 qui propria auctoritate, sprete superiorum  
 prohibitione, hanc causam resuscitasset.  
 Nec benignius Petrum de Alliaco habue-  
 runt, quem ingentes cum Joanne Parvo  
 altercationes habuisse, & ad ejus instan-  
 tiam illum Universitate expulsam fuisse  
 insimulabant. Tandem ipsum Imperato-  
 rem odio, & partium studio stimulatam,



Sæcul. XV. hanc causam movisse, atque instigante  
A. C. 1415. Ludovico Bavaro, a cujus ore Sigismundus penderet, (ut quidam Anonymus loquitur) contra Ducem Burgundiæ enormia deposuisse facinora cirminabantur. Nihilominus utrinque incassum laborabant contrariæ partes, & negotium nunquam aliam induit faciem, licet ad illud decidendum, aut saltem discutiendum plusquam triginta congregationes celebratæ fuissent.

## §. CXXXII.

*Alius Gersonii Libellus.*

*Idem p. 387.* Cum Anonymus Scriptor, de quo mox diximus, Gersonium tanquam calumniatorem traduxisset, & ex altera parte enixe petatum fuisset, ut ab hac causa removeretur, Gersonius paulo post libellum obtulit, in quo adstruebat, Synodum lege divina teneri, novem Joannis Parvi propositiones judicio fidei damnare, eosque, qui illas pertinaciter defenderent, tanquam hæreticos punire, item, a Synodo tot Doctorum & Academiæ afferta non minoris ponderis habenda, quam sententias eorum, qui Wiclefum, & Hussum damnarunt, frivolam quoque esse exceptionem dicentium, quod harum propositionum proscriptione concordiam inter Regem Galliæ & Burgundum restitutam



tam turbatura foret, ac si tamdiu fir-  
 ma pax sperari non posset, quamdiu Sæcul. XV.  
A. C. 1415.  
 ejusmodi perversa principia impune per-  
 mitterentur. Non defuere, qui contra  
 hunc libellum calamos suos acuerent.  
 Inter ceteros alius quidam prodiit Ano-  
 nymus; hic contra omnes, qui hanc  
 damnationem urgerent, effrænem suam  
 evomuit rabiem, eosque seditiosos, filios  
 Belial, omnibus inferni furiis agitados, &  
 rabiosis canibus haud absimiles crimina-  
 tus est. Re tamen ipsa hoc scriptum nil  
 continet, quod ab Atrebatensi Episcopo non  
 jam fuisset propositum, nempe, hæc  
 propositiones esse probabiles, nec eas ad  
 fidem pertinere, antequam Ecclesia de-  
 super judicium tulisset, & Episcopum Pa-  
 risiensem absque omni jure eas proscri-  
 plisse.

§. CXXXIII.

*Episcopi Atrebatensis altercatio cum  
 quodam Gallicæ Legato.*

Die duodecima Septembris fervida di-  
 sputatio Atrebatensem Episcopum Gerson. ut  
supra p. 391.  
 inter, & Petrum de Versallia, Gallicæ  
 legatum oriebatur circa novem illas pro-  
 positiones. Ille eas omnino tolerandas  
 esse nec ad fidem pertinere pertinacius  
 tuebatur. Hic vero Episcopi sententiam  
 in publicas tabulas referri petiit. Tum  
 Atre-



Sæcul. XV. A C 1415. Atrebatensis primum Articulum defendens, secundum limitavit dicendo, eas *explicite* fidem non tangere, quamvis *implicite, tacite ac indirecte*. Die vigesima tertia Septembris advenerat Epistola regis Galliae, in qua significabat pacem inter se & Burgundiae Ducem initam, ast hoc nuntio dissidiorum flammæ nequam extinctæ fuerunt.

## §. CVXXIV.

*Libellus Atrebatensis Episcopi pro Assertionibus Joannis Parvi.*

Quinimo Episcopus Atrebatensis libellum porrexit Synodo, petiitque, ut trium Cardinalium, qui Parisiensis Episcopi damnationem irritam declarabant, sententiam confirmaret. Præterea aliud scriptum vulgavit, in quo propositiones, seu *veritates* a Joanne Parvo in sua Apologia pro Burgundo dictas distinguit a novem illis propositionibus, quas Gersonius ex Apologia decerptas, & a Parisiensi Episcopo prosriptas fuisse perhibebat. In hoc libello ambas Assertiones ex integro exhibuit, nempe Joannis Parvi veritates unacum suis probationibus, & Assertiones a Gersonio extractas cum earum damnatione. Dein examinandum assumit, utrum novem Gersonii propositiones concordent Joannis Parvi veritatibus,



tibus, idque ex pluribus rationibus ne-  
 gat, inde vero concludit, Gersonium in-  
 justum ac temerarium, atque ad palino-  
 diam cogendum esse.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1415.

§. CXXXV.

*Apologia Joannis de Rocha pro Jo-  
 anne Parvo.*

Joannes de Rocha Minorita, Doctor To-  
 losanus, & Joanni Parvo confratri  
 suo amicissimus, Gersonium quoque la-  
 cessere aggressus est. Hic enim in qua-  
 dam Dissertatione docuit, hæc proposi-  
 tiones, utpote Philosophicas, aut Mora-  
 les ad Concilii forum, cujus tantummo-  
 do de fide judicare esset, non pertinere,  
 nec inferioribus judicibus, imo nequidem  
 generali Concilio auctoritatem compete-  
 re damnandi doctrinam aliquam, nisi  
 prius ab Ecclesia damnata fuisset, eo-  
 quod hæc censeantur esse causæ majores,  
 quæ Sedi Apostolicæ reserventur. Huic  
 Gersonius respondit, falsum, imo hæreticum  
 esse, asserere, quod doctrina moralis ad  
 fidem non pertineat, ostendit quoque, omnem  
 propositionem in Sacris literis, vel expresse  
 contentam, vel per legitimam consecutionem  
 deductam esse de fide, propositionem vero  
 contrariam errorem sapere, denique judices  
 ordinarios, ut errores etsi necdum ab Ec-  
 clesia

*Gerson. l. cit.  
 p. 406.*



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

clesia damnatos proscriberent, auctoritate pollere; Hæc asserta, quæ pluribus comprobant exemplis, Episcoporum & Ordinariorum jus hæreses in locis sibi subjectis exortas damnandi stabiliunt. Huic Articulo Joannes de Rocha prolixum opposuit responsum, & se Virum præstantem, atque arte dialectica valde instructum monstravit.

§. CXXXVI.

*Gersonius errorum in fide accusatus.*

*Gerson.*  
*p. 439.*

Cum Gersonius in hac causa primas egisset partes, etiam contra ipsum Ducis Burgundi fautores acrius insurgent. Novas igitur Viro parant artes, & ut eum in fide suspectum redderent, plures errores fidei contrarios in suis libris docuisse insimulant. Episcopus Atrebatensis hos errores contra Gersonium in viginti quinque articulis exposuit, quos tamen ipse Gersonius vindicavit, sed hæ ipsæ illius vindiciæ novos procreabant adversarios, quos inter præcipuus fuit Joannes de Rocha. Nos impresentiarum solum Articulos exhibemus. I. *Quilibet homo cum discrimine vitæ suæ occasionem potest nancisci tyrannum occidendi.* II. *Fieri potest, ut homo in causa religionis ad judicem suum citatus, jusjurandum præstare recuset, licet in fide maneat.*



neat. III. Si aliquis vel ob motum animi, Sæcul. XV.  
 vel ob metum mortis, ore suo quamdam fi- A C. 1415.  
 dei veritatem negat, ab eaque culpa neque  
 vult, neque potest se liberare, tamen manet  
 fidelis. IV. Papa notorie hæreticus, Papa  
 est, donec sententia adversus eum lata fuerit,  
 ipseque Papatu abierit. V. Nec Papa, nec  
 alius quicquam debet exigere, ut Canones po-  
 sitivi juris, vel aliæ traditiones canonicæ ab  
 omnibus, & ab universa Ecclesia observen-  
 tur. VI. Tali modo Pontifex caussa fuit  
 schismatis Græcorum. VII. Christus J E-  
 sus, qui est sponsus Ecclesiæ, sponsæ suæ suis-  
 que liberis nequit auferri, ita ut Ecclesia uni,  
 solique Fæminæ, vel omnibus fæminis, omni-  
 busque Laicis sit relicta, dum Lex subsistit ne-  
 que nova Dei institutio adest. VIII. Chri-  
 stus homo, & Sponsus Ecclesiæ militantis  
 illi ita detrahi non potest, quin semper in eam  
 influat per diversa sua membra, perque gra-  
 dus hierarchicos, officia, administrationes,  
 dignitates, & status, quos in plantatione Ec-  
 clesiæ introduxit. IX. Remotio unius Ec-  
 clesiæ membri eam valde deformat, & im-  
 perfectam reddit. X. Quando certus & in-  
 dubius Papa non existit, Ecclesia omnia mem-  
 bra sua, cum primis autem principale mem-  
 brum, non habet integre. XI. Nulla pax de-  
 bet concedi illis, qui hæreses docent, si noto-  
 rie sint obstinati, vel gravi pervicaciæ suspi-  
 cione laborent, donec per confessionem veri-  
 tatum, quas impugnarunt, veniam prome-  
 ruerint.



Sæcul. XV. A. C. 1415. ruerint. XII. Si cum Deo pax non est, nulla cum proximo pax subsistit. XIII. Hæresin spirat propositio ista: Cædes alicujus Principis pro salute Regis & Regni fuit perpetrata. XIV. Tyrannus, qui citra jus fasque regnat, vel vult regnare, non immunis est a Lege: Non occides. XV. Protestatio conditionalis in materia, quæ ad fidem spectare dicitur, quamque nec Apostolica Sedes, nec quaecunque Generale Concilium definivit, suspectum aliquem facit, tantum abest, ut eundem culpa eximat. XVI. Si Papa, vel Cardinales doctrinam Joannis Parvi, licet neque ab Apostolica Sede, nec a Concilio damnatam, fovere aperte viderentur, ratio magis legitima eum deponendi adesset, quam concurrentia Papparum, quos creaverunt, & notam hæreseos incurrerent. XVII. Sanctio, ne homines malæ notæ, vel suspecti ad Concilium deputentur, valde est æqua. XVIII. Vero non est absimile, quod Judices & Conventus Parisiensis errare non poterunt, neque alios fallere voluerunt in materia fidei, quæ ab Ecclesia nondum fuit decisa. XIX. Sententia, quam Episcopus particularis fert in materia, quæ juxta alios ab Ecclesia nondum fuit decisa, Catholica est. XX. Omnis propositio, quæ plures habet sensus, quos inter non nisi unus falsus est, tanquam erronea damnari debet. XXI. Episcopus particularis certas propositiones, de quarum veritate inter celebres Doctores non constat, tan-



tanquam erroneas in fide & in moribus con-  
demnare valet, neque necesse est, ut earum  
propugnatores audiantur, imprimis in casu,  
si Ecclesia vel sancta Sedes, mentem suam  
desuper expresse non declaravit. XXII. Si  
Angelus Dei e caelo descenderet, & Auditori  
harum Assertionum, suæ opinioni quocunque  
modo contradiceret, talis ei non crederet,  
quinimo nec ipsi Deo. XXIII. Fidei elemen-  
ta principiis naturalis legis sunt superstru-  
ta. XXIV. Quod si Joannes Hussus, quem  
Concilium condemnavit, & hæreticum pro-  
nuntiavit, Advocatum habuisset, nunquam fuisset  
convictus. XXV. Malo in caussis fidei Ju-  
dæos vel Gentiles judices habere, quam Depu-  
tatos Concilii.

Sæcul. XV.

A. C. 1415.

## §. CXXXVII.

*Gerfonii Vindicicæ contra errores sibi  
objectos.*

Gerfonius haud difficulter de objectis  
hisce propositionibus sese purgavit,  
quarum potior pars summe orthodoxa  
est, ceteræ vero benignam interpretatio-  
nem admittunt. Exempli gratia, ad pri-  
mam respondit, illam ex malitia fuisse  
transpositam, nec se de eo locutum fuis-  
se, quod fieri deberet. Ad secundam ve-  
ro, quod aliquis fidelis permaneat, quam-  
diu fidem conservat in intellectu, etsi er-  
rorem circa fidem committeret, quodque  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI. L fides*



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

fides sine charitate subsistere valeat. Ad quartam, quod impugnari nequeat, nisi quis hoc ipso Wiclefi & Joannis Hussi erroribus faveret, qui dixerunt, quod *Prælati non sit Sacerdos; aut Dominus non sit Prælati, nec Sacerdos, nec Dominus, si in peccato mortali essent.* Ad quintam & sextam, quod hæ duæ propositiones Catholicæ sint, sed ex illis malitiôsæ deducantur illationes. Ad quatuor subsequentes, quod itidem veræ atque Catholicæ sint, prout in textu leguntur, malitiôsæ vero detortæ fuissent. Ad undecimam & duodecimam, quod veræ sint, prout conceptæ leguntur. Item quod propositio decimæ quartæ contraria, hæretica sit, & a Concilio damnata in propositione: *Quilibet Tyrannus &c.* etsi affirmet, licere Tyrannum occidere auctoritate publica, non autem in seditione. Ad XV. dicit, textum fuisse adulteratum, suam vero propositionem orthodoxam, & veram esse. Idem respondet ad XVI. In decima septima Gersonius explicat verbum *mittere*, & inquit, quod equidem ad Concilium Viri suspecti mitti valeant, non vero deputari tanquam Commissarii. Ad decimam octavam respondit, quod Verbum: *posuerunt* non intellexerit in sensu Metaphorico, & absoluto, sed solummodo in sensu morali. Ad decimam nonam, nil se docuisse, quod ipsum non appro-



approbaverit Concilium, & ab ipsis Episcopis, & Academiis adoptandum non esset. Vigestimam & vigestimam primam omnino negat, eo quod Jacobelli sententia a Concilio damnata fuisset, licet Jacobellus non comparuerit. Ad vigesimam secundam, quæ valde dure sonat, calumniam sibi impingi conqueritur, & inquit, se non locutum esse de eo, quod opinioni opponitur, sed quod fidei orthodoxæ adversatur. Ad XXIII. dicit, quod textui consona non sit, admittit tamen veram esse quoad principia fidei decalogo consentanea. Ad vigesimam quartam respondet, non esse accipiendam secundum rigorem literæ, sed esse tantummodo certum loquendi modum, veluti si quis diceret de homine plumbeo ac segni: *hic nunquam veniet*, etsi eum tandem venturum sciam. Quoad ultimam minus feliciter se purgavit, dicens, quod trans-eun-ter, & forte ex tædio eam asseruerit, eo quod per quinque jam menses in materia tanti momenti quoad bonos mores judicium ferre morosius distulerit Concilium, de cetero propositionem non adeo esse absurdam, prout existimaretur, cum sermo esset de materia morali, & ad Jus naturæ pertinente, in qua & Judæi, & Ethnici judices esse possent. Tandem concludit postulando, ut suarum propositionum denuntiatio declararetur nulla,

Sæcul, XV.  
 A. C. 1415.



Sæcul. XV. & denuntiatores a Synodo coerceren-  
 A. C. 1415. tur.

## §. CXXXVIII.

*Epistola Episcopi Atrebatensis ad  
 Collegium Cardinalium.*

*Gerson.*  
*p. 472.*

Cum ergo Episcopus Atrebatensis contra Cardinalem Cameracensem accepisset, illumque pariter hæresis accusasset, reliqui Cardinales sui Collegæ honorem defendere decreverunt, quocirca Episcopus eis libellum exhibuit, in quo gravia, si huic causæ se immiscerent, secutura ostendit mala, eoquod causæ Joannis Parvi plures faverent Principes, in quorum ditionibus Cardinales possiderent beneficia, quæ perdere possent; dari quoque Academies, quæ contra eorum sententiam abs dubio insurgerent; nullam vero Cardinalitiæ dignitatis rationem habendam, eoipso quod de propositionibus materiam fidei tangentibus ageretur, Episcoporum enim & Doctorum esse ejusmodi controversias decidere. Tandem manifestam fore Tyrannidem, si ad salvandum unius Cardinalis honorem, & utilitatem, totum Collegium Cardinalium causæ alias a Concilio decidendæ auctoritatem sibi arrogare vellet. Certe non obmutuit Cameracensis Cardinalis, sed pariter Synodo obtulit libellum, in quo



quo Assertiones Joannis Parvi damnari, earumque pertinaces defensores tanquam hæreticos declarari postulavit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

§. CXXXIX.

*Alia scripta pro Joanne Parvo.*

Refutavit hoc scriptum Episcopus Atrebatensis, concludens, damnandas non esse hasce propositiones, easque sigillatim vindicavit, & nonnisi per fraudem Joanni Parvo imputatas fuisse asseruit. Aliud adhuc composuit opusculum, in quo has propositiones ad fidem non pertinere ostendit, Ducis Burgundiæ famam injuste in Synodo denigratam fuisse, literas quoque Regis Galliæ in hanc rem scriptas subreptitie extortas, imo accepto Regem inter & Burgundum pacis initæ nuntio omnino revocatas fuisse. Denique plura alia prodierunt scripta, exstatque sententia a Cardinale Aquileiensi concepta, quam a Synodo hac in causa pronunciandam proponebat. Reliquum anni tempus mediis, quibus hoc negotium absolveretur, investigandis dabatur; sed casso omnino labore.

§. CXL.

*Imperator Perpiniani.*

Cæsar nonnisi decima octava Septembris

L 3

Spond. hoc an. n. 57.



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

bris die Perpiniani advenerat, diutius enim Narbonnæ morabatur, nuncium præstolaturus de recuperata Arragoniæ Regis salute. Interea tamen Petrus de Luna jam mense Junio Perpinianum accessit, sed exeunte dicto mense inde abiit, Valentiam profectus; quippe Cæsaris adventum expectare haud libuit. Ex eadem urbe Sigismundus de suo adventu Petrum certiores reddidit, rogavitque, ut rediret; ast ille, priusquam Cæsaris precibus acquiesceret, securitati suæ data fide cautum esse postulavit, dixitque, se Perpinianum non reversurum, nisi Pontificali habitu ornatus comparere posset. Respondit Imperator ejusdem Legatis, suum non esse in alieno regno publicæ fidei literas dare, nec se illum ut Pontificem, sed tantum ut Cardinalem recepturum. Nihilominus accedente Arragonum Regis auctoritate Petro petitam securitatis syngrapham concessit; Petrus autem de Luna, ubi intellexit, sibi in ea duntaxat Cardinalis dignitatem attribui, Perpinianum venire renuit, missis duntaxat quibusdam articulis, quibus plura rationi minus consona postulavit, nimirum, ut vel Lugduni, vel Avenione, Montispeffulani, aut alibi convocaretur Concilium, in quo, prævia Pontificatus sui confirmatione, cedere paratus esset, ea tantum lege, ut Cardinalis Legatus a Latere habere-



beretur cum pleno jure disponendi tam in Sæcul. XV.  
 spiritualibus, quam in temporalibus per A.C. 1415.  
 omnem suam obedientiam, necnon ut  
 cuncti, quos ad quaecunque officium  
 vel dignitatem promovisset, confirmaren-  
 tur, atque in Synodo a se ipso convo-  
 canda quæcunque adversus eum in Pifa-  
 no Concilio decreta fuissent, ante omnia  
 velut irrita, ac omnino nulla declararen-  
 tur. Imperator hisce conditionibus re-  
 jectis, denuo Petrum ad Perpinianense  
 colloquium sollicitabat; hic vero non nisi  
 post frequentes impulsus tandem compa-  
 ruit.

§. CXL I.

*Seditio in Bohemia ob Hussi sup-  
 plicium.*

Vix Joannis Hussi supplicium Pragæ in-  
 notuit, cum ingens ibi oritur seditio. Æn. Sylv. c. 36.  
 Ejusdem discipuli in arcis capella con- Cochl. l. 4.  
 gregati memoriam defuncti velut Marty-  
 ris celebrandam decernunt. Postea Ar-  
 chiepiscopi Palatium atque Ecclesiastico-  
 rum ædes diripiunt, pluresque trucidant.

§. CXL II.

*Epistola Nobilium Bohemice ad Sy-  
 nodum.*

Non multo post tempore Bohemice Pro-  
 L 4 Æn. Sylv. l. 5. p. 214.



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

ceres literas ad Synodum perscribunt, quæ paucis diebus, antequam Benedictus Perpiniani advenerat, Constantiam delatæ sunt. His circiter sexaginta tam Bohemiæ quam Moraviæ nobiles subscriperant, in graves effusi querelas contra Synodi gesta. Criminabantur Concilium, quod morti tradidisset Joannem Hussum tanquam hæreticum, nullius tamen erroris convictum. Hunc multis deprædicant, velut fidelem Evangelii Ministrum, tam in moribus quam in doctrina ab omni errore immunem. Postmodum causam dicunt pro Regno Bohemiæ, & Moraviæ Marchionatu, jactantes, se a prima sui ad fidem Christianam conversione semper Ecclesiæ Romanæ fideliter adhæsisse, meram igitur calumniam esse rumorem malitiose ab inimicis & proditoribus disseminatum, & adinventum, ac si in istis ditionibus hæretica spargerentur dogmata; Tandem a sententia Concilii appellant ad futurum Pontificem, injuriæ acceptæ reparationem postulaturi. Hæc Epistola data est die secunda Septembris.

## §. CXLIII.

*Historia Zischæ Hussitarum Ducis.*

Supplicium Joannis Husii nemini atrocius inflixit vulnus, quam Joanni de Troczonovia Regis Wenceslai Cubiculario



rio, qui postea accepto Zischæ nomine, Sæcul. XV. A.C. 1415.  
 quod Bohemorum idiomate monoculum  
 significat (in quodam enim proelio ocu-  
 lum amiserat) valde celebrem, atque for-  
 midandum se reddidit. Hic natione Bo-  
 hemus erat natus in oppido Trosnovia te-  
 nuis adeo fortunæ, ut sæpius a ditiori-  
 bus, qui in vicinia erant, Nobilibus vi-  
 ctum emendicare coactus fuerit. Impe-  
 ratoris Caroli IV. Ephebus erat, ab ejus-  
 que Filio Wenceslao post præclara forti-  
 tudinis ac magnanimitatis specimina in  
 variis occasionibus exhibita inter suos Cu-  
 bicularios adlectus fuit. Stipendia me-  
 ruit cum insigni gloria apud Poloniæ Re-  
 gem, & in proelio An. MCCCCX contra  
 Equites Teutonicos a Rege prospero Mar-  
 te commisso hæroica edidit facinora.  
 Hussitæ illum Ducem suum creant, nec  
 invitum, flagrabat enim mortem Joannis  
 Hussi, cui amicissimus erat, vindicandi ar-  
 dore. Ergo ad exequendum suum con-  
 silium rusticorum exercitum instruxit,  
 quos militari arte adeo feliciter imbuit, ut  
 lectissimi milites ubique audirent.

§. CXLIV.

*Subjedio ab Hieronymo Pragensi  
 promissa.*

Moverat Concilii Patres Epistola Bohe-  
 morum Procerum, necnon arreptum

*Th. Urie  
 apud Vonder  
 Hardt ta. I.*



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

ab eis animi propositum, ut omni studio Hieronymum Pragensem ad retractandum inducere allaborarent, ne pari in eum supplicio ac in Joannem Hussum animadvertere cogerentur. Quapropter undecima Septembris die productum gravibus adeo atque efficacibus rationibus adoriuntur, ut sese Synodo subicere promiserit, & errorum Wiclefi, ac Joannis Husi damnationem approbaverit, caussatus, quod antehac non crediderit, articulos Husso imputatos illius fuisse, additque, se quidem Personæ, non autem errorum ejus amicum esse velle, nec eorum damnationem a se factam pro retractatione esse reputandam, licet enim frequenter condemnatas hasce propositiones audiisset, atque legisset, se tamen nunquam eas tanquam Articulos fidei adoptasse, neque privatum suum judicium auctoritati Ecclesiæ prætulisse. Ast hæc Hieronymi declaratio nimium vagis, ac ambiguis concepta erat verbis, hinc totum tempus usque ad proximam sessionem excurrens in eo impendebatur, ut eum ad clariorem, magisque definitam retractationem inducerent; quam & obtinuerunt,



§. CXLV.

Sæcul. XV.

A.C. 1415.

*Sessio decima nona.*

Die XXIII. Septembris hæc Sessio, ordine decima nona celebrata est, cui pro more Cardinalis Vivariensis præfuit, Episcopo Assissinatensi rem divinam peragente. Absolutis solemnibus alias consuetis, ante omnia Hieronymus Pragensis coram Patrum cœtu sistitur, publice Wiclefi ac Joannis Hussi articulis anathema dicturus. Cardinalis Cameracensis illius formulam his terminis conceptam legit.

Labbe Conc.

tom. 12. p.

164.

§. CXLVI.

*Hieronimi Pragensis recantatio.*

Ego Hieronymus de Praga, liberalium artium Magister, cognoscens veram, Catholicam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresin, præcipue eam, de qua hæctenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt & tenuerunt Joannes Wicles, & Joannes Huss in suis opusculis seu libellis, aut sermonibus ad Clerum & ad populum. Propter quam causam prædicti cum suis dogmatibus & erroribus damnati sunt ab hac sacrosancta Constantiensi Synodo tanquam hæretici, & eorum doctrina similiter damnata, maxime in nonnullis articulis expressis in sententiis per hoc sacrum Concilium contra ipsos latis.

Ibidem.

Con-



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi & huic sacro Concilio, & ore, & corde profiteor in omnibus & per omnia, præsertim de clavibus, de sacramentis, ordinibus, officiis, censuris ecclesiasticis, de indulgentiis & reliquiis Sanctorum, & Ecclesiastica libertate, ac etiam de ceremoniis & aliis omnibus ad Religionem Christianam pertinentibus, prout ipsa Romana Ecclesia & Apostolica sedes, & hoc sacrum Concilium profitentur, & specialiter, quod prædictorum articulorum plures sint notorie hæretici, & dudum a sanctis Patribus reprobati, quidam vero blasphemii, alii erronei, alii scandalosi, quidam etiam piarum aurium offensivi, & ipsorum nonnulli temerarii & seditiosi, & pro talibus fuerunt prædicti articuli per hoc sacrum Concilium condemnati, & inhibiti omnibus & singulis Catholicis, sub anathematis intimatione, ne de cætero dictos articulos aut ipsorum aliquem aliquis prædicare, dogmatizare, aut tenere præsumeret.

Hæc retractatio adhuc fusior legitur in actis Concilii, nam postquam Hieronymus Pragensis Wiclefi ac Joannis Hussi errores abjuraverat, insuper cogebatur ad revocandas certas quasdam privatas sententias logicas de *universali* quas docuit, v. g., quod *una communis generis essentia esset homo, leo, bos &c.* quodque *una essentia specificasset plura ejusdem speciei supposita & quodlibet eorum*, & ad hoc inducen-



ducendum velut exemplo usus, descripsit Sæcul. XV.  
 triangularem figuram, quam scutum fidei A. C. 1415.  
 appellavit, igitur declaravit, quod ejus-  
 modi doctrinis non intenderit obstinate  
 inhærere, nec eas tanquam doctrinam ad  
 salutem necessariam, sed duntaxat ad in-  
 genii sui exercitationem defendisse, mi-  
 nus vero se hanc sententiam extollere su-  
 per omnes alias Doctorum opiniones.  
 Cum vero accusatus etiam fuisset, ipsum  
 docuisse, quod fides adhuc locum habe-  
 ret in Ecclesia triumphante, respondit,  
 nunquam suæ opinionis fuisse, quod ibi  
 esset fides sub ratione propria fidei, sed  
 duntaxat cognitio quædam fidem exce-  
 dens, & a visione Beatifica proveniens.  
 Testabatur etiam, se prima fronte non  
 credidisse, quod Joannes Hussus ar-  
 ticulos, qui ipsi adscribebantur, reipsa do-  
 cuisset. Cum vero eos in libris suis ma-  
 nu propria scriptis legisset, agnovisse se,  
 merito ejus doctrinam, tanquam hære-  
 ticam & insanam, fuisse damnatam. Tan-  
 dem juravit per sanctissimam Trinitatem,  
 & per sacrosancta Evangelia, se in verita-  
 te Ecclesiæ Catholicæ semper perman-  
 surum, omnesque, qui hanc fidem impugna-  
 verint, anathemate dignos pronuntiavit.  
*Et si & ego, addit, aliquando aliquid contra  
 sentire præsumpsero, canonum severitati sub-  
 jaceam, & æternæ pœnæ.* Hanc recanta-  
 tionem ipse alta voce legit, & præmissa  
de



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

de sinceritate mentis suæ testificatione subscripsit. Quo factò nihilominus in carcerem reductus fuit, nec Commissarii, prout optabant, illum libertati asserere poterant.

## §. CXLVII.

*Decretum ad Fratres Minores, & de securitatis publicæ literis.*

*Ibid. p. 166.* Deinde plura legebantur Decreta, quorum primum concernebat Fratres Minores strictioris observantiæ. Examinandæ proponebantur nonnullorum dicti ordinis querelæ contra quosdam, qui cum Sacræ Regulæ spiritum, ac observantiæ studium tueri deberent, laxiorem introducebant disciplinam; deputabantur igitur hanc in rem Commissarii, Cardinales Ursinus, & Cameracensis. In secundo Decreto Concilium declarat, in quantum validæ censeantur impunitatis literæ, quas Principes sæculares hæreticis concederent, dicitque, *quod nullum fidei Catholicæ vel jurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicium generare vel impedimentum præstare possint aut debeant, quominus contra eos tali salvo conductu munitos liceat judici competenti de hujusmodi erroribus inquirere, procedere, & punire, quantum justitia sua-debit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint, etiamsi de salvo conductu confisi,*



fisi, ad locum venerint iudicii, alias non venturi, nec sic promittentem, cum fecerit, quod in ipso est, hoc in aliquo remansisse obligatum. Aliud adhuc lectum fuit Decretum, in quo Synodo latam a se contra Hussum sententiam vindicat, hoc tenore: *Cum Joannes Huss fidem orthodoxam pertinaciter impugnans, se ab omni salvo conductu & privilegio reddiderit alienum, nec aliqua sibi fides aut promissio de jure naturali, divino, vel humano fuerit in præjudicium Catholicæ fidei observanda, Synodus declarat, Imperatorem circa Joannem Hussum, non obstante memorato salvo conductu, ex juris debito fecisse, quod licuit & debuit, omnibus cujuscunque status & dignitatis præcipiens, ut nullus deinceps Concilio, vel Cæsari de gestis circa Joannem Hussum, detrahat, sive quomodolibet obloquatur. Qui vero contrarium fecerit, tanquam fautor hæreticæ pravitatis, & reus criminis læsæ Majestatis sine spe veniæ puniatur.* Exhibet hoc Decretum Vonder-Hardtus tom. 4. p. 522. sed in Concilii actis impressum non habetur.

Sæcul. XV.

A. C. 1415.

## §. CXLVIII.

*Confirmatio Bullæ Carolinæ.*

Alia præterea lecta fuere Decreta, quorum altero confirmata fuit Constitutio, seu Bulla Carolina immunitatem Ecclesia-

*Vonder-Hardt to. 4. p. 523.*



Sæcul. XIV.  
A. C. 1415.

clesiasticorum concernens, & mandat Synodus Vicecancellario Romanæ Ecclesiæ, ut executorias hujus Bullæ literas in forma solita expediat. Vocatur Carolina, quia innovatio & confirmatio est Constitutionis in favorem libertatis Ecclesiasticæ contra Laicorum insultus a Friderico conditæ, quæ ab Honorio III. approbata, demum ab ipso Imperatore Carolo IV. Tangermundæ anno MCCCLXXVII. innovata fuit. Vi hujus confirmationis Synodus omnes invasiones, vexationes, aliaque molimina adversus jura, libertates & immunitates Ecclesiasticas attentata a tempore Urbani VI. annullat, atque irritat.

## §. CXLIX.

*Alia Decreta.*

*Labbe Conc.*  
*tom. 12. p.*  
*173.*

Sequens, quod legebatur Decretum delegavit Patriarchæ Constantinopolitano, & Episcopo Sylvanectensi facultatem audiendi & cognoscendi de hæresibus in Bohemia ac Moravia invalescentibus, eisque plenam omnes suspectos in fide citandi & judicandi potestatem dedit, usque ad definitivam sententiam exclusive. Alio decreto sancitum, ut Beneficiati in Concilio præsentibus Beneficiorum suorum fructus perciperent; ultimo vero ordinatum fuit, quod nomine Concilii literæ super



super omnes provisiones ac promotiones a Joanne XXIII. usque ad suspensionem ejus concessæ rati haberentur, nisi aliud canonicum obstaret impedimentum. Ast huic dispositioni contradixit Episcopus Aniciensis, suo & Archiepiscopi Spalatenensis nomine, & ejus oppositio ad acta relata est. Quibus peractis Sessio absoluta fuit.

Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

Die secunda Octobris nuntiatum est Constantiensibus, Benedictum XIII. Perpinianum venisse, & cum Imperatore, atque Arragoniæ Rege conventum egisse. Qua de re tanta erat cunctorum lætitia, ut pulsatis omnibus urbis campanis solemniter Hymnus: *Te Deum &c.* decantaretur.

§. CL.

*Cardinalis Barrensis obitus.*

Paucis ex post diebus Cardinalis Barrensis, nominatus Landolphus de Maramauris, e vita excessit. Ejus exequiæ ingenti pompa celebratæ sunt, & Episcopus Laudensis funebrem habuit concionem, in qua tamen ne verbo quidem defuncti Cardinalis meminit, sed duntaxat de vitiis Clericorum, & de urgenti Ecclesiam reformandi necessitate disseruit. Proxima die Dominica, vigesima nona Octobris Ottoricus Abindon Doctor,

Vonder  
Hardt to. 4.  
p. 533. &  
tom. 5. p. 115.

*Hist. Eccles. Tom. XXVI. M &*



Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

& Theologiæ Professor Oxoniensis ejusdem funeris occasione verba fecit, & ad finem orationis Patres Concilii adhortatus est, ut Pontificem, doctum, pium, & gravem eligant, qui reformationem Ecclesiæ perficere, & ingentes abusus illo tempore grassantes corrigere valeat.

## §. CLI.

*Hieronymus Pragensis, etiam post retractationem Synodo suspectus.*

*Theobald.*  
*hist. de bello*  
*Hussit. c. 23.*

**H**ieronymus Pragensis post errorum suorum abjuracionem in pleno confessu factam ad carceres reductus fuit, insuper habitis suorum Commissariorum, seu potius Judicum, nempe Cardinalium, Cameracensis, Ursini, Aquilejensis & Florentini precibus, qui eum liberari impense petierunt, eoquod sese Concilio obedientem præstitisset. Verum hac ipsa sua deprecatione suspectos se reddiderunt, quinimo nonnulli eos Hussitarum ac Regis Bohemiæ auro corruptos, Hieronymo patrocinari criminabantur. Quocirca hi Cardinales alios Commissarios constitui postularunt, & annuente Synodo Patriarcha Constantinopolitanus, alique eis suffecti sunt, Gersonius autem tractatum conscripsit, cui titulus: *De Protestatione seu revocatione circa materiam fidei ab hæreticis facienda pro hæresum ab-*  
jura-



juratione, in qua revocationem Hieronymi, licet illum non nominaverit, suspectam reddere allaboravit; nec a vero aberravit.

Sæcul. XV.

A.C. 1415.

§. CLII.

*Tractatus Gersonii de Protestationibus hæreticorum.*

Gersonius in allegato tractatu discutit Protestationes tam Generales quam particulares, seu revocationes aut recantationes, quas circa materias fidei contra hæreses fieri oportet; inquit ergo, *Protestatio Generalis de fide non sufficit ad purgationem illius, qui tenet errores particulares. Protestatio specialis, ac conditionalis, v. g. si dicitur: Si hæc veritas mihi nota esset, scit Deus, quod libenter eam crederem, non excusat pertinaciter errantes apud Deum vel apud homines. Protestatio specialis de fide sicut & absoluta revocatio de errore contrario requiruntur ad justificationem illius, qui particularem errorem absolute tenuit, hæc tamen non absolvit, quin pertinax aut hæreticus antea extiterit. Talis tamen Protestatio non debet fieri necessario, dum quis errat nescienter in fide, & sine contumacia. Tandem Protestatio generalis aut conditionalis revocatio non obstat, quin talis dici possit suspectus de hæresi, si ex signis exterioribus cognoscitur,*

M 2

suam



Sæcul. XV. suam revocationem non esse sinceram.  
 A.C. 1415. In eodem tractatu ponit definitionem per-  
 tinaciæ dicens, quod *consistat in deprava-*  
*tione voluntatis per superbiam, vel aliud vi-*  
*tium, dum non vult errans cauta sollicitu-*  
*dine quærerere veritatem, aut dum perspectæ,*  
*monstratæque renuit assentire, vel errorem*  
*dimittere, Totum Gersonius absolvit in-*  
*dicatis pertinaciæ signis, quorum duode-*  
*cim enumerat. (\*)*

II. *Cum errans sustinet excommunicatio-*  
*nem ultro, nec se excusare potest.*

III. *Quando citatus renuit comparere.*

IV. *Dum quis defendit errorem, cujus*  
*oppositum tenetur explicita fide credere.*

V. *Dum quis declarationem & defini-*  
*tionem fidei impedit.*

VI. *Dum veritatem docentes seu deter-*  
*minantes odisse se monstrat.*

VII. *Quando quis negat veritatem, quam*  
*prius docuit.*

VIII. *Dum quis petit declarationem ve-*  
*ritatis a Doctoribus seu iudicibus, quam,*  
*cum facta est, nihilominus repudiat.*

IX. *Quando commovet seditiones & bel-*  
*la, ideo, quia facta est alicujus veritatis de-*  
*claratio.*

X. *Dum jurat se malle mori, quam er-*  
*rorem revocare.*

XI. *Dum*

---

(\*) *Ipsa definitio a Gersonio pro primo as-*  
*signatur signo adhuc interno.*



XI. *Dum fovet errantem & defendit, Sciens hunc errare.* Sæcul. XV.  
A.C.1415.

XII. *Quando non resistit erroribus, dum potest & debet.*

§. CLIII.

*Sessio vigesima.*

**C**ontroversia inter Episcopum Tridentinum, & Fridericum Austriae Ducem *Labbe Cont. to.12.p.172.*

in Sessione XX. die Jovis vigesimo primo Novembris celebrata examini subjecta est. Querebatur Præsul, se non modo jam per novem annos ab Austriaco sede sua pulsum, omnibus oppidis, castris, aliisque ad eum pertinentibus Dominiis exutum, sed insuper crudeliter ab eo carceri inclusum fuisse, præterea se vi coactum, plura promissa, imo & juramenta in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis deposuisse. Mandavit equidem Imperator Duci, ablata Episcopo spolia atque Episcopatum redderet, quod ille facturum sese sancte promisit. Ast Episcopo neque libertas corporis, nec possessio bonorum restituta fuit. Quocirca Synodus absente quidem Imperatore, sed certo certius eo consentiente, hanc causam dijudicandam assumpsit. Auditis utriusque partis Advocatis, pro Episcopo sententia pronuntiata est, & Patres concesserunt decretum ut vocant moni-

M 3                    torium,



Sæcul. XV. torium, quo sub pœna excommunicatio-  
 A.C. 1415. nis, suspensionis, & interdicti retinentes  
 bona, aut loca ad Episcopum pertinentia  
 ad restitutionem compelluntur.

## §. CLIV.

*Samogitarum Oratores Constantiæ.*

*Vid. supr.  
 Lib. CII.  
 §. 100.  
 Vander  
 Hardt to. 4.  
 p. 546.  
 Dlugoff. l. II  
 p. 343.*

Die XXVIII. ejusdem mensis Samogi-  
 tiæ, quæ est quædam Lithuaniam  
 Provincia, Legati numero circiter sexa-  
 ginta Constantiam veniunt. Gens ista  
 fere ante biennium Christi fidem suscepe-  
 rat, opera Ladislai Jagellonis Poloniæ Re-  
 gis. Subdita erat per aliquot annos Teu-  
 tonicorum Equitum imperio vere Tyranni-  
 co, a quo eam nequidem tutam Polonorum  
 præsidium fecit. Hinc Poloniæ Rex, con-  
 spirante magno Lithuaniam Duce, Samo-  
 gitas cum suis Legatis ad Synodum mi-  
 fit, ut illius auxilium contra Equites im-  
 plorarent, simulque sibi quosdam Viros  
 Ecclesiasticos concedi peterent, qui Pa-  
 storali cura residuos Samogitas infide-  
 litatis tenebris adhuc involutos Ecclesiæ  
 aggregarent. Decrevit Synodus in qua-  
 dam particulari Congregatione, aliquem  
 Cardinalem unacum duobus suffraganeis,  
 & tribus Doctoribus ablegare, ut illos  
 Christianæ fidei doctrinis plene imbue-  
 rent; Ad quod pium sanctumque opus  
 ultro sese obtulit Cardinalis Ragusinus.  
 Polo-



Poloniæ Legati nomine suæ gentis con- Sæcul. XV.  
 questi sunt contra Equites Teutonicos. A.C.1415.

Unde sequenti anno Synodus declaravit,  
 quod Samogitæ deinceps in temporalibus  
 Imperatori, in spiritualibus suis Episco-  
 pis subjacerent, Equitibus vero præcepit,  
 ne ultra eos vexarent, nec conversioni  
 illorum obsisterent.

§. CLV.

*Tractatus Gersonii de Simonia.*

**A**nni currentis reliquias Synodus variis Vander  
 dicavit Congregationibus, ad exe- Hardt to. 1:  
 quendum reformationis Ecclesiæ confi- part.4. p.1.  
 lium destinatis. Scripsit in hunc finem  
 Gersonius tractatum de Simonia, in quo  
 pluribus casibus circa hoc peccatum ad-  
 ductis, media pertractat, quæ Synodus  
 ad extirpandam hanc labem opportune  
 adhibere posset. Annatas damnat tan-  
 quam simoniacas, quia Papa exigit pecu-  
 niam propter beneficiorum collationes,  
 & quamvis existimat, a simoniaca labe  
 absolute excusari posse receptionem vel  
 dationem pecuniarum pro iis rebus, quæ  
 pretio æstimabiles sunt, v. g. pro litera-  
 rum testimonialium expeditione, pro sol-  
 litudine, labore &c. nihilominus nec  
 sub hoc prætextu aliquid dari, vel exigi  
 posse, affirmat. Ab iis tamen, quibus  
 administrantur Sacramenta, aliquid exi-

M 4 gere,



Sæcul. XV. gere, non damnat, dummodo intentio  
 A C. 1415. recipiendi temporale non sit finis princi-  
 palis, & aliunde absit scandalum & avari-  
 ritæ nota. Nam, inquit, si sub præ-  
 textu debiti salarii non exercerentur spi-  
 ritualia, nisi primo dentur temporalia, aut  
 si turpiter & cum scandalo atque avaritiæ  
 nota exigenterentur, possent haberi suspecti de  
 simoniaca pravitate sic facientes.

## §. CLVI.

*Epistola Angeli Corarii ad Synodum.*

Vander  
 Hardt to. 4.  
 p. 551.

Die septima Decembris convenerant  
 Nationum Deputati, Epistolam le-  
 cturi, quam Angelus Corarius quondam  
 Gregorius XII. ad Concilium, & quidem  
 propria manu scripsit, quod a tempore  
 suæ abdicationis hucusque nunquam fe-  
 cerat. Epistolæ inscriptio hæc erat: *Sa-  
 cro sanctæ Universali Synodo Constantiensi  
 devotionem, & submissionem cum humili sui  
 recommendatione, ad calcem vero subscri-  
 ptus legebatur, humilis & devotus vester  
 Angelus Corario, Episcopus, & S. R. E.  
 Cardinalis.* In ea confirmat cessionem  
 suam, quam *Sacrificium juris sui pro bono  
 pacis Ecclesiæ factum* appellat. Synodo  
 gratias agit pro habita ratione dignitatis,  
 ac status sui, eam ad prosequendum unio-  
 nis negotium adhortatur, & scribendi  
 moram excusat, eo quod Oratores exspe-  
 ctaret,



ctaret, quos Synodus ad se mittere debuisse, qui tamen non comparuerunt. Sæcul. XV.  
A.C. 1415.  
Hæc epistola data est Recineti die septima Octobris.

§. CLVII.

*Argentinenfis Episcopi caussa in Synodo ventilata.*

Argentinenfis Episcopi caussa aliquamdiu Patrum sollicitudinem fatigavit. Ibid. p. 551.  
Præsul iste, cui nomen Guilielmus de Diest, jussu suorum Canonorum, & Argentinenfis Magistratus Molshemii comprehensus fuit, eoquod bona quædam Ecclesiæ alienare meditaretur. Elector Palatinus, ad querelas Episcopi Synodo oblatas, Nationum coetum coegit, ut de mediis hanc caussam absolvendi deliberarent. Ultro citroque ad Concilium missi fuere Advocati; Canonorum ac Magistratus Causidici exposuerunt, Episcopum ideo detentum, quia periculum esset in mora, ne castrum Bernense, & oppidum *Zabern* seu *Tabernæ* Alfaticæ dictum alienaret, & pro certa pecuniæ summa, ad ducendam uxorem impendenda, quibusdam sæcularibus venderet. Subjungunt, eundem Episcopum jam ultra viginti castra Argentinenfis Ecclesiæ alienasse, & hoc ære emisse terras, quas jure proprio possideret, Verbo, octodecim



Sæcul. XV. illis annis, quibus hanc Ecclesiam ut  
A.C. 1415. Episcopus, quamvis necdum Presbyter  
 esset, rexerat, omnia dictæ Ecclesiæ bona dilapidasse. In fine petierunt, ut Concilium Ecclesiæ hujus libertates ac immunitates conservare, & illatorum damnorum reparationem urgere velit.

Advocati ex parte Episcopi minus feliciter causam dixerunt, & finaliter petierunt, ut Concilium monitorias expediret literas adversus eos, qui Episcopum detinere ausi sunt. Cognita causa, Antiochenus Patriarcha declaravit, decretum fuisse, quod sexdecim Commissarii, quos inter quatuor Cardinales essent, nominarentur, interea vero Præsul ex carcere dimitteretur. Capituli Advocatus acceptos habuit Commissarios, sed Episcopi liberationem acceptare noluit, nisi saltem Capitulo cautum esset, de castro, & urbe dicta non alienanda. Hinc causa ad aliam congregationem remissa est.

§. CLVIII.

*Congregatio Nationum in causa Reformationis Ecclesiæ.*

*Ibid.* p. 556. Die 19. Decembris, Joannes Nafon Germanæ Nationis Præses vehementer urgebat, ut Concilium Simoniam reprimeret, & Hieronymi Pragensis causam, cujus



cujus retractatio semper suspecta vide-  
 batur, continuo prosequeretur. Die vi-  
 gesima sexta ejusdem Mensis quidam ex  
 ordine Eremitarum S. Augustini, Mogun-  
 tinæ Diœcesis, sermonem habuit de re-  
 formatione Ecclesiæ, in quo eleganter re-  
 censitis Clericorum obligationibus, acriter  
 infectatus est abusus in Ecclesia in-  
 valescentes, atque ardens studium pro-  
 didit hæresis extirpandæ, & reformandæ  
 Ecclesiæ in fide & moribus. Die autem  
 vigesima nona Decembris iterato congregabantur Nationes, ut Imperatoris, &  
 Deputatorum Synodaliū in Arragoniam  
 missorum Epistolas legerent. Trigesima  
 Decembris die, altera Bohemorum Pro-  
 cerum Epistola ad Synodum delata est,  
 in qua de supplicio Joannis Hussi conque-  
 sti sunt, cujus nuntio accepto fere omnes  
 Nobiles Viri & populus ad seditionem  
 incitati fuissent, adeo, ut jam Episcopus  
 Litomisliensis, qui ad eos Legatus missus  
 fuerat, motus animorum sedando impar  
 esset. Concilii Promotores postularunt,  
 Hussitas & Proceres, qui huic epistolæ  
 subscribere, Constantiam vocandos esse,  
 ut ibidem de fide, gestisque rationem red-  
 derent.

§. CLIX.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1415.



Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

§. CLIX.

*Belli apparatus in Anglia adversus Gallos.*

*Juven. Urs. Hist. Car. VI Monstrelet. vol. I. p. 141. & seq.* In Galliis pacis negotium cum Anglia indefesso tractabatur studio, atque tres solemnes ultro citroque legationes missæ fuere, ut conventa pacis perficerentur, quibus absolutis Henricus V. Angliæ Rex Catharinam Franciæ Principissam in uxorem ducturus esset. Oblata fuere Anglo in dotem futuræ conjugis octingenta aureorum florenorum millia, simulque quindecim Aquitanniæ urbes, ac totus Lemovicensis districtus. Hæ conditiones Henrico arridere videbantur, sed promissorum facilitati operis constantia defuit. Anglus enim Galliam bello opprimere parabat, eoquod illud ejus subditi tanto ardore expeterent, ut universum regnum, si eorum votis non acquievisset, contra Regem ad seditionem commovissent. Præterea suspitioni locus erat, quosdam Franciæ Proceres Gallici imperii pertæsos clandestina cum Henrico fovisse consilia: saltem ipse Angliæ Rex persuasus erat, mediam duntaxat Nationis gallicæ partem sibi adversam fore, eoquod adhucdum Aurelianiensis, & Burgundica Domus implacabili odio inter se dividerentur.

Ubi



Ubi ergo exercitum suum contraxit, haud ultra animi sui consilia occultavit, sed aperto Marte se adversus Gallos jura sua tuiturum declaravit; deditque ad Regem literas querelis, atque minis plenas, eumque in sua subscriptione simpliciter *Carolus Galliae cognatum suum* nominavit, postmodum vero *Portum gratiae* ad ostia sequanae situm ingressus est, & cum sex millibus cataphractorum, triginta sagittariorum millibus, aliisque pluribus copiis justo exercitus numero convenientibus exscensionem fecit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.

§. CLX.

*Huneflotum obsidione cinctum, ac vi captum.*

Hoc exercitu instructus Huneflotum, Honfleur. aliis *Arefluctum*, gravi obsidione premit. Urbs ista fortiter Anglorum impetus sustinuit, munita præsidio ac virtute quadringentorum militum, & septingentorum vel octingentorum Provinciæ Nobilium, qui ad hostem ab urbe repellendum accurrerant. Nihilominus vi occupatum est castrum, atque direptum, cum Gallici exercitus Duces, ut fama fert, vel ignavia, vel proditione, laboranti urbi succurrere negligerent, cujus rei culpa potissimum in Albretum Connestabilem rejiciebatur.

Ubi



Sæcul. XV.

A. C. 1415.

Ubi vero Carolus VI. nulla mora suas collegerat copias, anglorum quamplurimi strenue pugnantes ceciderunt, nec pauciores grassante lue e medio sublati sunt, cumque ad apertos campos excurrere non auderent, magna annonæ penuria premebantur, quam ob rem, postquam tribus septimanis ad oram maritimam substitissent, castra movere, & Caletium repetere cogebantur. Transibant Caletensem agrum, Augii Comitatum, & Vinnemacensem districtum, ut trajecto amne Somona apud Blancetaciam reditum suum maturare possent. Gallorum exercitus nonnisi ex provinciali militia collectus, hostem in itinere propius lacescere non equidem est ausus; Verum Rex Rothomagum veniens, juncto quatuordecim millium armatorum subsidio unacum omnibus Principibus (exceptis Aquitanniæ, Bituricensi, Britannicæ, & Burgundiæ Ducibus) Anglos aggredi constituit. Ast, cum Somonæ fluminis transitum valido milite obfirmare, sicque facili negotio Anglos delere potuisset, ipse neglecto hoc consilio citra flumen apud Azincurtium in Comitatu S. Pauli Picardiæ oppidum a Blangio non longe distitum, transeuntibus Anglis commeatum intercludere decrevit. Angli perspecto Gallorum consilio, cum laboribus fracti essent, & commisso prælio non abs  
re



re extremam internecionem vererentur, Sæcul. XV.  
A. C. 1415.  
(hostium enim copiæ quadruplo eorum reliquiis superiores erant) omnia damna a tempore, quo in Gallias excurrerunt, data se reparaturos promifere. Nihilominus adeo amplæ conditiones a Gallis rejiciebantur.

§. CLXI.

*Galli in prælio ad Azincurtium  
devicti.*

Ergo postera die vigesima quinta Octo-Naucter.  
gen.48.  
p.444.  
bris Galli hostem ad pugnam provocant, infausto tamen successu, nam Anglorum ad duram, aut vincendi, aut moriendi necessitatem redactorum desperatio, tumultuaria Gallici exercitus instructio, & arrogantior inter Duces exortatio summi imperii æmulatio Gallis admodum funesta fuit, accessit etiam importuna primi agminis dispositio, ita enim instructum erat, ut præ angustia loci primi duntaxat ordines pugnandi copiam haberent, denique ipse campus maxime iniquus erat ob humum uliginosam, & adeo imbribus madefactam, ut milites depressum ad suram usque pedem ægerrime promoverent. Hæc omnia causæ erant extremæ Gallorum cladis, quorum sex millia ceciderunt, mille duntaxat, ac sexcentis Anglorum desideratis. Præcipui occisos



Sæcul. XV. A.C. 1415 occisos inter lugebantur, Comes Niver-  
 nensis, & Antonius Brabantiae Dux, am-  
 bo Burgundiae Ducis fratres; Dux Alen-  
 sonius, Albretus Connestabilis, Dux Ba-  
 rensis, Bucicaldus Marefcallus, Dampier-  
 rius summus classis Præfectus, Archie-  
 piscopus Senonensis, frater Joannis de  
 Monteacuto, qui Parisiis capite trunca-  
 tus est, necnon Vice-Comes Laudonensis  
 ejusdem Joannis filius. Capti Aurelia-  
 nensis, & Borbonius Duces, Vindocinen-  
 sis, & Richemundius Comites, cum aliis  
 mille quadringentis Nobilibus. Victo-  
 res ob attritas vires victis copiis haud  
 absimiles, caletum ægre admodum re-  
 gressi sunt; inde Henricus V. in Angliam  
 remeavit, secum ducens Aurelianensem,  
 & Borbonium captivos.

Adeo funesta clades intestina Gallo-  
 rum dissidia plurimum auxerat; nam  
 Burgundus supremum Franciæ imperium  
 assiduo studio, ac summa contentione am-  
 biebat, ac fatales temporis rationes suo  
 consilio admodum propitias fore ratus,  
 confestim Divione cum Lotharingiæ Du-  
 ce, & decem millibus equitum profes-  
 ctus, Parisios petebat; quare Rex quam  
 celerrime eo tendere, & aditus urbis ex  
 omni parte valido milite munire coactus  
 est. Ubi Dux Lagnium pervenerat, pe-  
 tiit a Rege, ut sibi liceret illum conveni-  
 re, sed repulsam tulit. Quinimo ex-  
 presso



presso mandato prohibitum, ne Lute-  
tiam accederet, nisi solito duntaxat suo  
comitatu, & necessariis impedimentis sti-  
patus; quocirca retulit pedem, securita-  
ti suæ non satis consultum iri iudicans, eo  
fortiori ratione, quod nunciatum esset  
ei, omnes ipsius Amicos in vincula conje-  
ctos, milites, quotquot intercipi possent,  
laqueo suspensum iri, Comitem quo-  
que Armeniacum, quo infensorem hostem  
Burgundus non habuit, ad subeunda  
Connestabilis munia accitum fuisse. Præ-  
terea Rex Galliæ exeunte hoc anno Fi-  
lium suum Ludovicum Delphinum, A-  
quitaniæ Ducem, & proximum regni sui  
hæredem summo cum dolore amisit,  
qui die 25. Decembris alvi profluvio la-  
borans obiit, non sine magna propinati  
veneni suspicione. Cujus post obitum  
successionis jura in Regnum Joanni Tu-  
roniæ Duci Fratri ejus secundo genito ob-  
venere, qui Filiam Hannoniæ Comitis  
in uxorem duxerat, & tum in Flandria  
agebat.

## §. CLXII.

*Episcopi Toloniensis sermo.*

Redeamus ad gesta Synodi, in quam  
tunc omnium Christianorum oculi  
defixi erant. Igitur congregationes non  
intermittebantur usque ad proximam

*Hist. Eccles. Tom. XXVI.*

N Sessio-

Sæcul. XV.  
A.C. 1415.



Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

Sessionem, quæ diutius protracta fuit, utpote primum mense Majo ad finem vergente anni sequentis habita. In die Epiphaniæ sexta Januarii MCCCCXVI. Episcopus Toloniensis sermonem habuit, & libertate Evangelica depravatos Clericorum mores infectatus est, conclusitque dicens: exauctorandum esse Benedictum XIII, condendas salutare leges adversus laxiorem disciplinam, & Clericos ad vitam Professioni eorum conformem tandem reducendos.

§. CLXIII.

*Congregatio in causa Archiepiscopi  
Argentinensis.*

*sup. §. CLIV* Ineunte mense Januario habita est Congregatio in causa Episcopi Argentinensis, cujus supra meminimus, inunctumque fuit Patriarchæ Constantinopolitano, aliisque Commissariis, ut hunc Antistitem liberari peterent. Sed re infecta reversi sunt, Procuratore ac Capituli Advocatis dicentibus, quod Episcopum libertati restituere parati essent, dummodo Concilium castrum Bern, & oppidum Zabern in clientelam reciperet, & Episcopus jurato caveret, se Synodi sententiæ acquieturum, ac vel Constantiam iturum, vel saltem eo missurum deputatos, qui accusationum capitibus contra eum



eum delatis responderent. Verum causa hæc necdum finem sortita est.

Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CLXIV.

*Plurium Principum Oratores auditi.*

Congressi sunt Nationum Deputati, ut *Vander*  
advenientes Jacobi Borbonii Neapolitani Regis, & Joannæ II. seu Joannettæ *Hard tom. 4.*  
uxoris ejus Legatos audirent. *vag. 559.* Hæc regina, cum fratrem suum, ejusque Antecessores imitata, pluries Romam invasisset, ac propterea terris suis exui pertimesceret, suis Legatis negotium dedit, ut Concilio obsequium præstarent, omnemque submissionis, ac fidei suæ testificationem erga futurum Pontificem suo nomine sponderent, simulque hujus electionem urgerent. Oratores perbenigne excepit Synodus, eisque suam protectionem promisit. Insuper Caroli de Malatestis, aliorumque Italiæ Principum Legati ad alloquium admissi sunt. Sub eodem etiam tempus contra eos, qui Angeli Corarii partibus adhærebant, querelæ deponerentur, ac si diversis modis status Ecclesiasticos divexare attentarent: quam ob rem Concilium respondit, se de opportunis tollendi dissidii mediis prospecturum, & in hac causa Commissarios deputaturum.

N 2

§. CLXV.



Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CLXV.

*Caussa Joannis Parvi resuscitata.*

*Gerson, to. 5. p. 491.* Primis Januarii diebus caussa Joannis Parvi denuo examini subjecta est. Universitatis Parisiensis deputati Cardinalem de Urfinis rogarunt, ut iudices quosdam constitueret, qui discuterent, utrum novem istæ assertiones ad fidem pertinerent vel non, & an salva conscientia approbari valeant? Cardinalis Cameracensis eas fidem tangere judicabat, quia sacræ Scripturæ adversarentur, aut saltem morum disciplinam violarent, ideoque ad Synodi forum pertinere, atque ab ea esse damnandas, velut consecutiones ex generali Joannis Parvi propositione deductas, & jamjam proscriptas. Joannes de Rocha ad eandem Congregationem vocatus, illas nec fidei, nec moribus contrarias, sed S. Literis conformes, adeoque non esse rejiciendas tenuit. Cui Cardinalis Cameracensis sese opposuit, & paucis ex post diebus Gersonius Gallorum nomine, Stephanus Paletz pro Germanis, & Episcopus Atrebatensis pro Duce Burgundiæ Commissarios impense rogabant, ut harum novem propositionum vel condemnatoriam, vel approbatoriam pronuntiarent sententiam. Vix non eodem tempore ad urgendum idem negotium allata



allata est Regis Galliae Epistola. Interim die 15. Januarii Cardinales Urfinus, Aquilejensis, & Florentinus, antehac a Joanne XXIII. caussae hujus Commissarii nominati, sententiam tulerunt, per quam ob non servatam formam juris Parisiensis conventus judicium, nullum ac irritum esse pronuntiatum fuit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CLXVI.

*Benedicti XIII. conditiones propositae.*

Benedictus XIII. ad cedendum jam pluries provocatus, tandem Mense Octobri Anno salutis millesimo quadringentesimo decimo quinto Perpinianum reversus est, ibidemque pari constantia propositionibus, quas olim Valentiae exhibuit, denuo inhæsit. Cum ergo Imperator septuaginta octo annorum senis pertinacia fessus, perspicue cognovisset, eum ejusmodi conditionibus, quæ omnino adimpleri non possent, cessionem suam studiose adstringere, unacum Synodi Legatis Narbonnam rediit, inde in Germaniam reversurus; sed Arragonum Rex unacum Castellæ, Navarræ, & Scotiæ Legatis, aliisque Viris illustribus, qui ex Benedicti obedientia Perpiniani adhuc morabantur, Narbonnam Legationem decreverunt, Sigismundum rogaturi, ut

Th. Urie  
l. cit.



Sæcul. XV.  
A. C. 1416.

profectionem suam differret, vel enim cessurum Papatu Benedictum, vel se obsequio ejus nuncium missuros, quibus permotus Imperator Perpinianum suos ablegavit Oratores, qui denuo negotium istud promoverent.

## §. CLXVII.

*Benedicti pertinacia, & Caucoliberim recessus.*

Nem. in vit.  
Joan.  
XXIII.

Verum spes prosperi eventus succisa est ambitiosi hujus Pontificis culpa, qui artibus suis, ac studiose quæsitis tergiversationibus unice moras neçtere satagebat. Ubi vero cunctos a sua obedientia defecturos animadvertit, clanculum Colibriam, seu Caucoliberim trajecit, quæ mari adjacet, & aliquot milliaribus Perpiniano distat. Illico rumor increbuit, id factum esse clandestinis Arragoniæ Regis consiliis, ut Benedicto Papatum asfereret, huncque perspecta rei difficultate Pontifici auctorem fuisse, ut clam in securitatis locum secederet, eoque sine Benedictum Colibriam contendisse. Fugientem insecuti sunt Barcinonenses, Cæsaraugustani, Valentini, & Perpiniani, aliarumque urbium deputati, sed eum attingere desperantes, civitatem obsidione cingunt, ejusque triremes cum toto bellico apparatu, ne ultra eidem usui essent, destruunt.



destruunt. Dum igitur Benedictus ob-  
 detur, adeunt eum duodecim ab Arra-  
 gonum Rege missi Oratores, qui illum  
 rogant, ut sine mora Perpinianum suos  
 ablegaret Procuratores, plena cedendi, &  
 Concilium agnoscendi potestate instru-  
 ctos, iidem, si secus in pertinacia sua per-  
 sisteret, se ad tollendum schisma magis  
 congrua adhibituros media, comminan-  
 tur.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1416.

§. CLXVIII.

*Benedictus semper pertinax Colibriz  
 Paniscolam profugus.*

Quibus Benedictus respondit, inhære-  
 re se propositionibus Perpiniani ex-  
 positis, addens, se inde discessisse, quod  
 ibi minus tutus esset, nec minori pericu-  
 lo vitam suam Colibriz exponi, hinc da-  
 turum se magis amplum responsum, si-  
 mulac sedem invenisset plene liberam.  
 Postea Cardinales ejus Perpinianum redi-  
 re jussi sunt, qui tamen primo mandato  
 non parvere, secundo autem vocati re-  
 dierunt omnes, exceptis Cardinalibus  
 suæ familiæ; Ipse vero relicta Colibriz  
 Paniscolam se recepit, oppidum ad oram  
 maris situm, idque munitissimum haud  
 longe Dertosa distans. Ibi nunciatum  
 est ei tertio, ni cederet Papatu, statu-  
 tum esse omnia exequi, quæcunque ad

Vonder  
 Hardt to. 2.  
 p. 515.



Secul. XV.  
A. C. 1416.

extinguendum schisma iudicata fuerint magis opportuna, statimque hoc negotio perfuncturos esse Imperatorem, & Synodi Deputatos; Verum Benedictus nec hisce vinci potuit, ut Concilium Constantiense agnosceret, aut Papatum dimitteret.

## §. CLXIX.

*Reges & Proceres ab ejus obedientia deficiunt.*

Igitur Reges & Proceres pervicacia Pontificis fatigati, eidem obedientiam penitus subtrahere decernunt. Ergo Legatos suos Narbonnam mittunt, qui cum Cæsare de duodecim Articulis sub nomine Narbonnensis Capitulationis valde notis conferrent; decima tertia Decembris MCCCCXV. conditi sunt hi Articuli, quos tanquam huic historiæ necessarios impræsentiarum referimus.

## §. CLXX.

*Articuli Capitulationis Narbonnensis.*

Vonder  
Hardt to. 2.  
p. 543.  
Labbe Conc.  
tom. 12. p.  
178.

Articulus I. Convocatio fiat per Prælatos, ceterosque Viros Ecclesiasticos, in dicto Concilio Constantiensi existentes, & congregatos, ad omnes Reges, Principes, Dominos, Cardinales, Episcopos, & alios Prælatos de obedientia Benedicti XIII, & in literis præfigatur



gatur terminus ad interessendum in Civitate Sæcul. XV.  
 Constantiensi trium mensium pro faciendo A. C. 1416.  
 Concilio Generali. Et vice versa, præfati  
 Reges, Principes, Domini, Cardinales, Epis-  
 copi, & Prælati dictæ obedientiæ faciant lit-  
 teras convocatorias ad Prælatos, cæteros-  
 que Dominos de Concilio Constantiensi simi-  
 les literis convocatoriis ab illis de dicto Con-  
 cilio emanandis, ut præfertur.

Hic nota, quod Imperator ad captan-  
 dam Hispanorum benevolentiam Const-  
 antiensi conventui nomen Synodi ante hu-  
 jus capitulationis executionem non tri-  
 buerit, ipsique Constantienses Prælati  
 dum ad Hispanos scriberent, hoc titulo  
 abstinuerint, & duntaxat Coetum appel-  
 laverint.

Articulus II. *Dictæ Convocationes fiendæ, fiant generaliter, ut deferatur honori Concilii jam dicti, scilicet pro extirpatione schismatis & hæresum, pro sancta unione Ecclesiæ, pro reformatione universalis Ecclesiæ in Capite & in membris, & pro unico eligendo Pastore, & pro aliis caussis rationabilibus, quæ ad Generale Concilium de jure pertinent, & spectant. Sed ad partem promittatur & firmetur per Serenissimum Imperatorem, & per Prælatos & cæteros hic missos ex parte Concilii dicti, quod in Concilio Constantiensi uniendo & constituendo, non tractabuntur aliqua concernentia dictos Reges, Principes, Prælatos & alios obedientiæ Be-*



Sæcul. XV.  
A. C. 1416.

*nedicti XIII, vel aliquem ex eis, nisi duntaxat causa ejectionis Domini Benedicti, & electionis futuri summi Pontificis, & reformationis Ecclesie in capite & in membris, & caussæ hæresum, cum dependentibus emergentibus &c.* Sensus hujus Articuli est, quod deinceps in literis & pactionibus suis usuri sint talibus verbis, quibus omnia dispositioni Synodali relicta censeantur. Quæ cautela valde necessaria erat, si enim ista Papæ aut Cardinalium arbitrio commississent, uti quidem de jure id fieri debere existimabant, totam rei summam in discrimen adduxissent.

Articulus III. *Præfatis de obedientia dicti Domini Benedicti venientibus ad Constantiam, statim fiat unio eorundem ad dictum Concilium Constantiense pro faciendo unum Universale Concilium. Quo facto quia Reges & Principes, alique obedientie Benedicti, dicunt esse certissimum, quod non possunt licite obedire alicui in Papam eligendo, ut vero Papæ, nisi prius vacaret Papatus morte, aut renuntiatione Benedicti pure & libere facta, vel per legitimam depositionem ejus, propterea est concordatum, quod antequam ad electionem unici summi Pontificis procedi valeat, firmetur processus contra eundem Benedictum juste & legitime, & nullatenus habeatur ratio ad processum Pisanum. Item quod Cardinales Benedicti, si venerint ad Concilium, vel aliæ personæ, sufficiens procuratorium*



rium habentes, recipiantur, & admittantur Sæcul. XV.  
ad omnes actus Concilii, prout Cardinales A. C. 1416.  
aliarum obedientiarum, vel eorum Procura-  
tores admittentur, & recipientur, & secun-  
dum quod dictum Concilium ad electionem  
summi Pontificis futuri alios admittet.

Non immerito ab Hispanis acta Synodi Pisanæ contra Benedictum rejecta fue-  
re, alias enim aperte concludi fas fuisset,  
quod Antipapæ ab illo tempore obedien-  
tiam detulissent.

Articulus IV. Per dictum uniendum  
Concilium aboleantur, annullentur, & irri-  
tentur, in quantum fuerit necessarium, qui-  
cunque processus, sententiæ, decreta, ordi-  
nationes, statuta, & pænæ, per olim Gre-  
gorium, & olim Joannem, & suos Præ-  
decessores, aut per Concilium convocatum Pi-  
sis, a tempore exorti schismatis facti & fa-  
cta & prolatae contra Reges, Principes, &  
alios quoscunque obedientie Benedicti, imo  
contra Benedictum, casu, quo renuntiaverit  
pure & libere ante sententiam ejectionis, in-  
tellecto tamen, quod dictum Concilium non  
posset se iuvare processibus & sententiis latis  
in processu & sententia inde ferendis contra  
eundem Benedictum. Et fiat similiter de  
sententiis latis per Benedictum contra obe-  
dientiam Concilii, Reges, Principes, Perso-  
nas singulares, villas & loca, & statuatur,  
quod non liceat contra quemcunque procedi in  
iudicio, vel extra.

Arti-



Sæcul. XV.

A. C. 1416.

Articulus V. *Per Concilium approben-  
tur omnes, & singulæ concessiones, gratiæ,  
dispensationes factæ per Benedictum XIII  
quibusvis personis suæ Obedientiæ sæculari-  
bus & Ecclesiasticis usque in diem primæ re-  
quisitionis. Hoc tamen declarato, quod si  
alienatio durante schismate in damnum cu-  
jusvis ex ista obedientia fuerit facta, per Con-  
cilium læsis provideatur, prout providentiæ  
Concilii visum fuerit.*

Articulus VI. *Cardinales Benedicti, si  
voluerint ire vel mittere ad formandum Con-  
cilium, reputentur & admittantur ut veri  
Cardinales, necnon dignitatibus & emolu-  
mentis & aliis Cardinalatus privilegiis, præ-  
eminentiis, & prærogativis admittantur,  
frui pariter & gaudere, salvis tamen aliis  
Constitutionibus & statutis per dictum Con-  
cilium promulgandis, de electione Romani  
Pontificis.*

Articulus VII. *Provideatur per Conci-  
lium circa officiales Curie Romanæ Benedi-  
cti, dum tamen iidem eidem Benedicto non  
adhæreant post subtractionem obedientiæ, si  
eam fieri contingat, vel post ejectionem præ-  
dictam.*

Articulus VIII. *Si ante renuntiationem,  
seu ejectionem Benedicti, ipsum contingat de-  
cedere, promittant Reges & Principes ejus  
obedientiæ & jurent, quod non permittent  
fieri in eorum regnis & terris electionem ali-  
quam per Cardinales ipsius, vel alios eorum  
vice*



vice, imo, in quantum in eis erit, modis <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 omnibus prohibeant. Et casu, quo fieret <sup>A. C. 1416.</sup>  
 per illos electio, illi sic electo per eos non  
 adhærebunt, nec obedient quoquo modo, nec  
 electum in regnis eorum & terris aliquate-  
 nus sustinebunt, sed electionem in dicto ca-  
 su per formandum Concilium permittent fie-  
 ri, & electo per illud in Papam, & in di-  
 cto casu, ut vero summo Pontifici indubie  
 adhærebunt.

Articulus IX. Debite provideatur, quod,  
 ubi duo vel plures in eodem titulo ex diver-  
 sis obedientiis concurrant, quilibet eorum in  
 Concilio deceniter tractabitur, honore utri-  
 usque obedientie semper salvo, & quod idem  
 Concilium providebit in dictis casibus tali-  
 ter, ut illorum quorumlibet honor & sta-  
 tus, quamdiu vixerint, debite supporten-  
 tur, quousque per Concilium, & eundem  
 summum Pontificem eligendum, provisio fie-  
 ret debite super istis.

Articulus X. Imperator & præsentis  
 ex parte Dominorum de Constantiensi Con-  
 cilio, illorum nomine, & etiam proprio me-  
 diante juramento promittant, & assurecare  
 faciant per Gallie Regem, Delphinum, Lu-  
 dovicum, Sicilie Regem & Comitem Sabau-  
 dice, Benedictum, si ire voluerit, vel mittere  
 ad Concilium, & omnes & singulos Amba-  
 sciatores, & Procuratores ipsius Benedicti,  
 & alias quasvis Personas literis de salvo con-  
 ductu. Quæ assurecramenta mittantur Regi  
 Arra-



Sæcul. XV. *Arragonum unacum literis vocatoriis dicti*  
A. C. 1416. *Concilii ad hoc, ut Rex possit certiorare vo-*  
*candos, ne dicta occasione se valeant abeun-*  
*do seu mittendo ad dictum Concilium excu-*  
*sare.*

Articulus XI. *Imperator & Legati*  
*Constantienses jurabunt singulariter, & pro-*  
*mittent, quod omnia & singula in prædi-*  
*ctis capitulis, & eorum quolibet contenta,*  
*facient approbari, & firmari, antequam*  
*concedantur dictæ literæ vocatoriæ, & quod*  
*in prima Sessione, facta unione ad dictum*  
*Concilium prædicta facient, concedent, sta-*  
*tuent, ordinabunt, & jurabunt. Et etiam*  
*Reges, Principes & Prælati obedientiæ Be-*  
*nedicti firment, & jurent tenere & observa-*  
*re omnia & singula supra dicta, quantum in*  
*eis erit.*

Articulus XII. *De præmissis omnibus*  
*& singulis firmentur, & tradantur cuilibet*  
*partium prædictarum tot, quot necessaria*  
*fuerint, publica instrumenta.*

Quæ pactio per Synodi Legatos, qui  
 Cæsarem comitabantur, Constantiam de-  
 lata est, demum ab Archiepiscopo Turo-  
 nensi lecta, approbata, atque a Cardina-  
 libus, aliisque Concilii Præsulibus sub-  
 scripta fuit, in quadam Congregatione  
 Generali habita trigesimo Januarii die  
 Anno millesimo quadringentesimo deci-  
 mo sexto.



## §. CLXXI.

Sæcul. XV.  
A. C. 1416.*Plures Principes Benedicto obedientiam subtrahunt.*

In eadem Congregatione perlectum est Edictum Ferdinandi Arragonum Regis, quo is unacum omnibus suis subditis a Benedicti obedientia se recedere declarat. Idem quoque datis ad Imperatorem literis significat, quod ipsius exemplo permoti Castellæ, & Navarræ Reges, itemque Armeniaci, ac Fuxi Comites pariter Benedicto obedientiam subtracturi essent. Hæc Epistola in dicta Congregatione recitata fuit. Univerſa Synodus pro tam felici eventu Deo grates rependebat, & postero die solemnem instituebat supplicationem, maximo populi concursu frequentatam. Dictæ subtractionis edictum Vincentius Ferrerius, Vir celeberrimus, Perpiniæ e suggestu promulgavit. Hic idem Benedicti pluribus annis Confessarius, & studiosissimus ejus Defensor erat, ubi vero Reges Hispaniarum ab eo plane defecturos, & pro bono Ecclesiæ hanc subtractionem omnino necessariam esse compererat, ad eorum partes transiit, & studia sua Concilio ad-dixit.

## §. CLXXII.



Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CLXXII.

*Capitulatio a Synodo approbata.*

Vonder  
tom. 4. p. 586.

Proxima quarta Februarii in Ecclesia Cathedrali, loco pro publicis Sessio- nibus ordinario, convenerunt Patres, ubi, postquam proposuit Archiepiscopus Turo- nensis, quod omnes capitulationem ob- servare jurarent, universa Synodus hoc jusjurandum nulla restrictione limitatum præstitit. Quidam duntaxat Cardinales ad confirmanda sui Collegii jura pro Ele- ctione Pontificis suo juramento quasdam addidere clausulas. Solus Tricariensis Cardinalis jurasse nescitur, & declinandi Sacramenti causa morbum simulasse di- citur.

§. CLXXIII.

*Synodus, & Arragoniæ Rex a Be- nedicto anathemate percussus.*

Bzov. an.  
1416.

Ubi Benedictus de iis, quæ Constantiæ adversus se acta fuere, nuntium acce- pit, haud moratus est ex Paniscolensi ar- ce Synodum, & Arragoniæ Regem di- ris devovere, privationem quoque Regni, quod huic dedisset, comminatus. Tra- dunt nonnulli, Regem quolibet die a Pon- tifice novo quodam percussus fuisse ana- themate; verum hæc fulmina eo magis accendebant Regis animum, ut subtra- ctionem



tionem obsequii in Castella & Navarra Sæcul. XV.  
 urgeret, ubi Archiepiscoporum Toletani, A. C 1416.  
 & Hispalensis artibus, qui Benedicto ad-  
 huc adhæserant, dicta subtractio impedi-  
 ta fuerat.

## §. CLXXIV.

*Sigismundus Narbonna discedit, Pa-  
 risios iturus.*

Cum Gallia continuo cum Anglis bello implicaretur, & Turcæ Christianorum Principum diffidia opportune in rem suam vertentes, ferro ac flamma Hungariam devastarent, Sigismundus firmata Narbonnensi capitulatione Parisios proficiscitur, Gallis, Anglisque aut pacem, aut saltem inducias suafurus. Ubique magnis honorum signis exceptus fuit. Lutetiam delatus publico cuidam Senatui interesse voluit, iudicii actionem auditurus. Mezerains testatur, eum Regis locum occupasse, ægre autem tulisse Gallos, quod data occasione ibidem Equitem creandi auctoritate usus fuisset. Totam hujus Monstrelet.  
 facti seriem percipiamus ex Juvenale Ur- vol. I. p. 154.  
 sino: Ventilata tunc fuerat causa duo- Juven. Ur-  
 rum, qui de Belicadrensi vel Carcasto- sin. hist. Ca-  
 nensi Seneschali jurisdictione contende- vol. VI.  
 bant, cumque iudices alteri horum defe-  
 ctum conditionis Equestris objecissent,  
 Imperator arrepto gladio Virum hunc pe-  
Hist. Eccles. Tom. XXVI. O di-







dein vero Convennensi, & Lombariensi Sæcul. XV.  
 Ecclesiæ, tandem vero Archiepiscopatu A.C. 1416.  
 Arelatensi præficiebatur. Constanter Be-  
 nedicti partes tenuit, usque ad Capitu-  
 lationem Narbonnensem, hac autem con-  
 clusa Constantiam adiit, & Concilio ac-  
 cessit.

§. CLXXVI.

*Causa Joannis Parvi de novo agi-  
 tata.*

Non obstante Cardinalium sententia, Gerson. to. 5.  
 contra Parisiensem conventum lata, p. 508. Et  
 de qua superius, necdum tamen Joannis 511.  
 Parvi causa intermissa est. Scripserat Vid. Sup.  
 Universitas Parisiensis ad Concilium CLXIII. ver-  
 bis quidem modestissimis, sed valde pon-  
 derosis, declarans, se inmote inhæsuram  
 condemnationi in præfato coetu nuperri-  
 me factæ, tanquam justæ ac legitimæ,  
 simulque rogat, ut Concilium eandem  
 confirmaret, & quidem sine mora, & si-  
 ne furore, quia utrumque suo præjudica-  
 ret honori. Cardinalis Cameracensis pari-  
 ter libellum obtulit, qui formulam damna-  
 tionis novem propositionum continebat,  
 simulque declaravit, hanc damnationem  
 nullius juri, aut honori præjudicio fore,  
 multo minus Burgundiæ Ducis famam  
 læsum iri, eoquod de Catholicæ fidei suæ  
 sinceritate testimonium dedisset.



Sæcul. XV.  
A. C. 1416.

## §. CLXXVII.

*Imperator in iis, quæ jura sua concernunt, nihil decidi postulat.*

Cum aliquot abhinc diebus Polonorum, & Equitum Teutonicorum causa in quadam Congregatione decimo tertio Februarii die denuo agitari coepisset, Polonorum Legati nomine sui Regis, & magni Lithuaniae Ducis contra hosce Equites suas detulerunt querelas. Nihil tamen ibidem decisum est. In eadem Congregatione lecta fuit Imperatoris Epistola, in qua Synodum rogavit, ne se absente quicumque circa *jus suum primariarum præcæ* decideretur; Vi hujus Juris, Ecclesia vel Capitulum, cujus esset conferre beneficium vacans, illud ei, quem Imperator primum præsentavit, concedere tenetur; Cum vero dictum Jus certis restrictum esset conditionibus, e re fuit Sigismundi, impedire, quo minus se absente quicumque desuper statueretur. Quamobrem, causa hæc usque ad reditum Imperatoris dilata est.

## §. CLXXVIII.

*Prosecutio causæ Joannis Parvi.*

Gerson. to. 5.  
p. 514. &  
520.

Negotium Joannis Parvi denuo tractarunt Patres in Congregatione die 18 Februarii celebrata. Ducis Burgundiae



diæ Advocati exhibuerunt libellum, pe- Sæcul. XV.  
 tentes, ut Gersonius novem propositio- A. C. 1416.  
 num denuntiationem a se factam retracta-  
 re compelleretur, tanquam calumniosam,  
 & ex proprio suo cerebro confictam, simul-  
 que, a Commissariis sine mora dijudicari  
 postularunt, utrum hæc caussa fidem tan-  
 gat, & ad forum Synodi pertineat, nec-  
 ne? Sedis Apostolicæ Advocatus, Si-  
 mon de Theramo dictus, nomine Regii  
 Procuratoris apud Curiam Romanam, si-  
 bi de actis Commissariorum transum-  
 ptum, antequam ad sententiam procede-  
 retur, dari, ac prius Regis Galliæ Orato-  
 res audiri petiit, eo quod Regis plurimum  
 interesset, ejusmodi propositiones con-  
 demnari, quæ ad sicariam Fratris sui cæ-  
 dem cõhonestandam tenderent, necnon  
 seditionem subditorum contra Domi-  
 num suum foverent, speciatim vero  
 Cardinalem Cameracensem, hæc pro-  
 positiones maturo examini subjici roga-  
 vit, ut omni cunctatione remota proscri-  
 bi possent. Denique quosvis suspectos  
 recusavit, & inter ceteros Cardinales  
 Urfinum, & Aquileiensem, Abbatem Cla-  
 revallensem, & Doctorem Taillevandum.  
 Verum ejus exceptio rejecta, nihilque  
 aliud hæc vice decretum fuit.



Sæcul. XV.  
A. C. 1416.

§. CLXXIX.

*Congregatio in diversis materiis.*

Die vigesima Februarii ad diversas causas decidendas habita est congregatio. Primum negotium respiciebat Officiales Gregorii XII, hi enim illos Joannis XXIII, tanquam Curiaë officiales agnoscere detractabant. Concilium pro Gregorii Ministris pronuntiavit, dummodo Canonice electi fuissent, cujus rei examen duobus Cardinalibus, totidemque cuiuslibet Nationis deputatis commisit. In eadem quoque sessione decreta fuit Huffitarum Bohemiaë & Moraviaë citatio, necnon ad Episcopi Argentinensis detentores monitorium, hoc autem non nisi decima Martii publicatum fuit, quo Capitulo, & urbi sub poena excommunicationis injunctum, Episcopum, Cantorem, omnesque hac occasione detentos libertati redderent, & bona eis ablata restituerent. Ast simul prohibitus est Episcopus, ne quoquo modo bona mobilia, vel immobilia ad Ecclesiam Argentinensem spectantia alienet, vel oppignoret, rescifis omnibus, quæ in contrarium facta fuerint, vel fient. Excepere hanc congregationem binæ aliæ vigesima tertia, & vigesima quarta Februarii celebratæ, in quibus Polonorum causa contra Equites Teutonicos magno ardore agitata est, nihil

*Vide Supr.*  
*§. CLIV. &*  
*CLXI.*



hil tamen conclusum fuit. Præterea ad <sup>Sæcul. XV.</sup> instruenda Hieronymi Pragensis acta, A. C. 1416.  
deputati fuere Commissarii.

## §. CLXXX.

*Arragonum Regis Legatus Constantiæ.*

Die 28 Februarii Legatus ab Arragoniæ Rege ad Concilium missus Constantiam venit, & secunda Martii in Congregatione Generali ad alloquium admissus est. Postquam prolixam habuisset orationem, binas obtulit Epistolas, unam ab Imperatore, alteram a suo Rege Ferdinando scriptam, quæis perlectis compertum fuit, subtractionis negotium præter expectationem tardius procedere, & Castellam, Navarram, & Fuxiensem & Armeniacensem Comitatus adhuc dum, licet multo remissius, Benedicto adhærere, ast spes allata est, fore, ut brevi totum opus perficiatur. Reliquum mensis Martii in pertractanda Joannis Parvi causa infumebatur, licet nihil adhuc decidi potuerit, insuperhabitis etiam literis a Carolo VI. Rege ad ejus Legatos datis, quibus novem propositionum damnationem omnibus modis urgere jubebantur. Conquestus erat Rex de trium Cardinalium ausu, quo Parisiensis Episcopi sententiam nullam pronunciarunt. lis-



Sæcul. XV.  
A.C 1416.

dem quoque Legatis plena data est potestas strenue aggrediendi, quicquid ad obtinendam tam Generalis asserti, quam particularium novem propositionum damnationem, opportunum, necnon ad irritandam Cardinalium, & confirmandam Parisiensis Episcopi sententiam, necessarium judicaverint.

## §. CLXXXI.

*Legati Galliae contra gesta in causa Joannis Parvi excipiunt.*

*Gerfon. l.cit.  
p. 548.*

Cum Commissarii in hac causa conventus suos hucusque, inconsultis Galliae Legatis egissent, hi contra omnia hactenus a Commissariis actitata reclamabant, & ab eorum sententia ad Concilium seu sedem Apostolicam in quadam Congregatione Nationis Galliae, cui Joannes de Curtacoxa praefuit, appellabant, pendente appellatione nihil innovari postulantes. Equidem Episcopus Atrebatensis hanc appellationem acerbè infectatus est in quodam libello, quem Nationis Gallicae Deputatis die 23 Martii porrexit, sed Legati huic responderunt; Episcopo itidem replicante, multis ultro citroque aculeatis verbis pugnatum est. Post hæc Oratores Ducis Burgundi & Commissarii ad causas hæresum deputati actionem injuriarum contra Joannem Morinum



num Galliae Legatum institui petierunt. Sæcul. XV. A.C. 1416.  
 Quibus peractis nulla amplius habita est Congregatio usque ad vigesimam sextam Martii, qua die ex potiori suffragantium sententia decretum est, decem Deputatos ex Natione Gallica denominandos, qui Commissariis pro materiis fidei constitutis adjuncti, partes litigantes vel ad amicabilem compositionem inducerent, vel si placide res componi non posset, coram futuro Pontifice hujus causæ decisionem per viam juris urgerent, postquam Petro de Luna adhærentes Synodo accessissent. Postera die Legati Ducis Burgundiæ contra hoc consilium exceperunt.

## §. CLXXXII.

*Austriæ Dux Constantia discedit.*

Fridericus Austriæ Dux, postquam ultra annum tanquam obses Constantiæ hæreret, donec pactationibus cum Sigismundo initis satisfaceret, infalutato hospite urbe excedendi opportunitatem invenerat. Ubi Tyrolim venit, omnia susque deque versa compererat. Nobiles, & spectabilior Cleri pars, Ernesto Fratri suo obsequebatur. Imperator hujus fugam comperiens, eum secundo per Cæsareum edictum proscripsit. Ex altera parte Episcopus Laudensis, Nationis Italicæ Præses, nomine Concilii Syndicis



Sæcul. XV. A. C. 1416. Ecclesiæ Tridentinæ injunxit, ut ad liberandum Episcopum, & ad Ecclesiam, omniaque ei ablata mox restituenda, Fridericum compellerent. Nec commoda sua neglexit Dux Ernestus. Tandem vero vicinorum Principum ope diffidia anno ad finem vergente feliciter composita fuere, Friderico in possessionem Tyrolis revocato, & Ernesto inde in Stiriam reverso, quam veluti usufructuariam Paternæ hæreditatis portionem possederat.

## §. CLXXXIII.

*Judicii acta contra Joannem Parvum publicata.*

Die undecima Aprilis Ducis Burgundiæ Oratoribus vehementer urgentibus, unanimi voto decreta fuit actorum Joannis Parvi publicatio, ringentibus licet Galliæ Legatis, sancitumque cuilibet, qui actorum transumpta peteret, esse tradenda. Contradixere Galliæ Legati huic dispositioni, & ad Synodum appellarunt, quo factum, ut a Commissariis audirentur, & plenam obtinerent facultatem, causam dicendi pro Episcopo Parisiensi. Ex adverso Ducis Burgundiæ Oratores huic decisioni obluçtati sunt, & ad Concilium provocarunt. Dum interea hæc diffidia ferverent, denuo allata est Universitatis Parisiensis Epistola, longe magis acer-



acerba, quam fuerat prima. In ea deplorat natas in Concilio factiones, scandalosas de loco ac sede altercationes, aperte de sententia Parisiensis Episcopi a Cardinalibus rescissa, tanquam de attentato contra jus Episcoporum conqueritur, & ad finem a Concilio petit, ut horum Cardinalium sententia, cunctaque contra Parisiensem Episcopum actitata irrita declararentur.

Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CLXXXIV.

*Congregatio in causa Hieronymi Pragensis.*

Præcipue ob causam Hieronymi Pragensis die vigesima septima Aprilis indicta est Congregatio, plurimorum frequentia admodum celebris. Aderant Elector Palatinus, omnes Cardinales, Prælati, Doctores, Regum & Principum Legati, plurimique Nobiles Viri. Ante omnia petitum fuit a Synodo, ut Episcopus Ariminensis, quem dictæ Ecclesiæ capitulum elegerat, potius postularetur, sed hæc causa ad futurum Pontificem remissa creditur. Postmodum alius Advocatus Electionem Archiepiscopi ab Ecclesia Senonensi factam a Synodo confirmari petiit. Contra hanc electionem Procurator Capituli Lugdunensis Ecclesiæ excepit, eo quod Ecclesia Senonensis

Lug-



Sæcul. XV.  
A. C. 1416.

Lugdunensi subiecta esset, & tam huius protestatio, quam illius supplicatio in publicas relata est tabulas. Tandem causa Argentinensis Episcopi tractari cœperat, & Procuratores Capituli contra Monitorium exceperunt. Natæ ex in magnæ contentiones, quibusdam hoc monitorium esse nullum censentibus, aliis a Concilio tanquam validum declarari petentibus. Quapropter dilatum est hoc negotium, ut Hieronymi Pragensis causa reassumi posset.

§. CLXXXV.

*Accusationum capita contra Hieronymum Pragensem.*

*Vid. supr.*  
*s. CXLIV.*

**H**ieronymus equidem recantaverat, sed tamen de sinceritate suæ revocationis valde dubitatum fuit, ac ideo aliis injunctum Commissariis, ut illum penitus examinarent, veramque ejus animi sententiam explorarent. Ergo coram confesso producitur, Joanne Rocha illos prælegente Articulos, de quibus jam interrogatus fuerat, unacum responsis, quæ suis dederat Commissariis. Sed Promotor Synodalis plures alios superaddidit, petens, ut de illis interrogatus, vel affirmaret vel simpliciter negaret non concessa amplius excurrendi copia; si vero in suis erroribus contumax persisteret, brachio



brachio sæculari traderetur. Verumta-  
 men Hieronymus ad exponendam suam  
 mentem publicum postulavit examen,  
 quod & Synodus ad diem vigesimam ter-  
 tiam Maji concessit.

## §. CLXXXVI.

*Ferdinandi Arragoniæ Regis obitus.*

Constantiæ nuntiatum est Concilio,  
 Ferdinandum Arragoniæ Regem in-  
 eunte Mense Aprili satis cessisse. Rex i-  
 ste adversa valetudine correptus, Castel-  
 lam in patriam suam tendere meditabatur,  
 spe recuperandæ sanitatis, & obedien-  
 tiæ Benedicto subtrahendæ negotium  
 ad finem suum perducturus. Verum  
 Ingulladæ Mors iter ejus interceptit. I-  
 bidem quoque suum condidit testamen-  
 tum, in quo Filio successori suo Alphon-  
 so Gerudæ Principi subtractionem hanc  
 fervide commendavit. Mortis hujus  
 nuntio non modico dolore affecta est Sy-  
 nodus, plangens Regem, pacis studiosum,  
 & unionis promotorem, sapientia, libe-  
 ralitate, & integritate morum summe  
 commendandum; justitiæ ac religioni  
 addictissimum, amantissimum populi sui  
 Patrem, omnibusque militaribus orna-  
 tum virtutibus, quibus Victores celebra-  
 ri merentur. Huic orationem funebrem  
 dixit

Sæcul. XV.

A.C. 1416.

Bzov. an.

1416. p. 512.

Vonder

Hardt to. 4.

p. 626.



Sæcul. XV. dixit Episcopus Laudensis, in quadam  
A. C. 1416. Congregatione ad hunc finem celebrata.

## §. CLXXXVII.

*Joannis Parvi causa denuo tractata.*

*Gerson. to. 2.*  
*p. 319.*

Eodem die coram Nationibus, Cardinalibus, aliisque Prælatibus causa Joannis Parvi iterum agitata est. Præduxerunt Galliæ Legati Epistolam Regis sui ad Concilium, qua novem illas propositiones damnari postulavit. Postea legerunt instrumentum appellationis, quam a sententia Commissariorum tanquam injusta ad Synodum interponebant. His Episcopus Atrebatensis interloqui cupiebat, sed tam insolens excitabatur strepitus, ut orationem suam differre cogere- tur ad confessum biduo post habitum, in quo contra Episcopum Parisiensem, imo etiam adversus Commissarios fidei declamavit, hi enim neutri parti placebant. Gersonius ei respondere parabat, sed obstabat prolixa nimium Episcopi oratio, quo minus id eodem adhuc die præstare potuisset. Itaque alteram expectans diem, omnia Atrebatensis Præfulis argumenta contra sententiam Parisiensis Episcopi allata fortiter refutavit, & Ducis Burgundiæ *justificationem*, novem propositiones, & cetera acta produxit.

## §. CLXXXVIII.



## §. CLXXXVIII.

Sæcul. XV.  
A.C.1416.*Alia Congregatio in eadem caussa.*

Paucis ex post diebus denuo congressi sunt Patres. Legit Gersonius Universitatis Parisiensis Epistolam, & Episcopus Atrebatensis prolixam habuit orationem in hæc D. Pauli verba. 2. ad *Thessal.* c. 2. v. 2. *Ut non cito moveamini a vestro sensu, terreamini neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.* Postmodum Epistolam protulit Nationis Picardicæ, quæ etiam Parisiensis Universitatis membrum erat. Ex hac Epistola patebat, hanc nationem nunquam literis a Gersonio lectis assensisse. Atrebatensis Episcopus, quæ in Picardorum epistola continebantur, observationibus a se superadditis firmare incæperat, sed illico tam vehementes oriebantur clamores, ut silere coactus fuerit, quare discessum est. Petiit tamen prævia protestatione, instrumentum confici de illata vi. Biduo post eadem agitabatur materia, sed haud feliciore successu. Præterea Imperator literas dedit ad Cardinales, in quibus Commissariorum acta in caussa Joannis Parvi irritari petiit, huic tres Purpurati responderunt, se damnasse Parisiensis Episcopi sententiam ex juris Doctorum judicio, eo quod



Sæcul. XV.  
A. C. 1416.

quod hujus causæ discussio, cum de materia fidei ageretur, ad summum Pontificem pertineret, & aliunde partes litigantes ad Parisiensem conventum citatæ non fuissent; Tandem, cum Episcopus, & Inquisitor fidei ab hac Cardinalium sententia, appellassent ad Concilium, ideo illius quoque judicium expectare oporteret. Nec ultra quicquam motum est in hac causa, quæ in Synodo tardius ventilata fuit.

§. CLXXXIX.

*Congregationes in diversis causis.*

Habitæ quoque sunt Congregationes in aliis diversis causis. Die decima quinta, & decima sexta Maji binæ celebrabantur. In prima Antonius Taxal Generalis Ordinis B. V. Mariæ de Mercede nomine Alphonfi Arragonum Regis solemniter Narbonnensem Capitulationem confirmavit, agnovitque Synodum. In secunda Henricus Latzenbogius Argentinam ablegatus est, ut Urbis hujus Episcopum libertati restitui postularet. Synodus postea Episcopos Tolonensem, & D. Pauli Leoneensem nominavit, qui Hussitas in Bohemia falsam doctrinam spargentes Constantiam citarent. In eadem duo Advocati contra Joannem XXIII. conquesti sunt, eo quod oblata ingenti pecunia-



cuniarum vi Episcoporum translationes concesserit, alii econtra ejusmodi translationes per hunc Papam factas, fuisse Canonicas, & nullatenus simoniacas affirmarunt. Spondit Concilium, discussurum se hanc causam, necnon & preces Regis Galliae, qui confirmationem cujusdam Raymundi ad Archiepiscopatum Senonensem a Capitulo Canonice electi confirmationem postulabat.

Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CXC.

*Hieronymus Pragensis publice examinatus.*

Die vigesima tertia ejusdem mensis Hieronymus Pragensis, ut optabat, in quadam Generali Congregatione publice auditus est; Sacramento promittere jubebatur, quod juxta conscientiam suam ad articulos, de quibus interrogaretur, simpliciter negando, aut affirmando respondere vellet, quod & se facturum promisit, dummodo vicissim libera sibi loquendi facultas concederetur, quæ cum negaretur, jurare renuit. Hoc facto prælecti sunt illi articuli, ad quos necdum responderat, quorum aliquos inficiabatur, alios affirmabat. Cum autem statutum confessus tempus expirasset, reliqua ad diem vigesimam sextam Maij remissa fuere. Ergo Hieronymus denuo

*Hist. Eccles. Tom. XXVI.*

P pre-



Sæcul. XV producitur, sed detrectato iterum jure-  
A.C. 1416. jurando reliqui contra ipsum prælecti  
 fuere articuli. Denique postquam ad  
 omnia, partim afferendo, partim negan-  
 do responderat, Patriarcha Constantino-  
 politanus ad Hieronymum conversus di-  
 xit, quamvis per documenta oppido gra-  
 via, & per testes omni exceptione ma-  
 jores de hæresi convictus sis, nihilomi-  
 nus siue accusationes tibi objectas dilue-  
 re, siue errores retractare velis, semper  
 plena tibi conceditur loquendi copia. Si  
 vero in tuis erroribus contumax persi-  
 stere malis, scito, omni legum rigore in  
 te processum iri.

## §. CXCI.

*Oratio Hieronymi Pragensis in Synodo.*

*Vander  
 Havdt to. 4.  
 p. 752. &  
 seq.*

U<sup>S</sup>us est Hieronymus data sibi dicendi  
 copia, questusque in quadam oratio-  
 ne fatis prolixa de injustitia sibi a Syno-  
 do irrogata, eoquod novos ei assignasset  
 Commissarios, repulsis prioribus, inno-  
 centiæ suæ consciis, declaravitque, se  
 hosce tanquam iudices in Cathedra pe-  
 stilentiae sedentes rejicere. Multis enco-  
 miis celebravit Joannem Hussum, Vi-  
 rumque sanctum deprædicans dixit, se  
 duntaxat Constantiam venisse, ut Hussu  
 suppetias ferret, dolere autem vehemen-  
 ter,







Sæcul. XV.  
A. C. 1416.

§. CXCIII.

*Sessio Vigesima prima.*

*Lab. Conc.*  
*tom. 12. p.*  
*190.*

Post solemne sacrum, aliasque solitas preces Hieronymus de Praga ab Archiepiscopo Rigensi producitur. Sermone habuit Episcopus Laudensis sumpto themate ex capite XVI. Sancti Marci: *Exprobravit Deus incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* Diu multumque exaggeravit turbas, & mala, quibus Joannis Hussi, & Hieronymi Pragensis opiniones Regnum Bohemiæ devastarunt. Postmodum sermonem convertens ad Hieronymum, lenitatem, qua Synodus illum hucusque fovit, ei ob oculos posuit, dicens: quod Synodus necessitate coacta eum in vinculis tenuisset, nisi enim fugisset, plena libertate Constantiæ frui potuisset, nec etiam tormenta passus fuisset: nunc vero cum pluries ipsi publicæ defensionis copia fuisset data, propria sua confessione, ac publica Joannis Hussi defensione, semetipsum hæreseos fautorem prodidisset. Merito ergo eum condemnandum conclusit. Hieronymus quoque pro se acriter ac valde audacter perorabat.

§. CXCIV.



## §. CXCIV.

Sæcul. XV.

A. C. 1416.

*Sententia contra Hieronymum Pragensem pronuntiata.*

Patres pro ultima vice Hieronymo recantationis viam proposuerunt; ubi vero pervicacia ejus frangi non poterat, Patriarcha Constantinopolitanus, requirente promotore, publice sententiam his verbis conceptam legit: *Christus Deus, & Salvator noster, vitis vera, cujus Pater agricola est, discipulos, cæterosque fideles suos in illis instituens, inquit, si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, Cujus summi Doctoris & Magistri doctrinam sequens, & præcepta exequens hæc S. Synodus Constantiensis, in causa inquisitionis hæreticæ pravitatis, per eandem S. Synodum mota, fama publica referente contra Magistrum Hieronymum dictum de Praga, Magistrum in artibus, laicum, ex cujus causæ actis, & processibus constat, eundem tenuisse, asseruisse, & dogmatizasse nonnullos articulos hæreticos, & erroneos dudum a sanctis Patribus reprobatos, quosdam vero blasphemos, alios scandalosos, alios piarum aurium offensivos, temerarios, & seditiosos, dudum per damnatæ memoriæ viros, Joannem Wicles, & Joannem Hufs assertos, prædicatos, & dogmatizatos, ac in nonnullis eorum libris & opusculis insertos:*

P 3

Qui-



Sæcul. XV. A.C. 1416. Quique articuli, doctrina, & libri præfatorum Joannis Wiclef, & Joannis Hufs, ac Wiclef memoria dictique Joannis Hufs persona per eandem S. Synodum & ejus sententiam de hæresi damnati & damnatæ fuerunt. Quamque damnationis sententiam postmodum in eadem S. Synodo cognoscens & profitens veram, Catholicam & Apostolicam fidem approbavit, & eidem consensit, anathematizavitque omnem hæresim, præcipue eam, de qua erat infamatus, & se confitebatur infamatum, & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt, & tenuerunt Joannes Wiclef, & Joannes Hufs in suis opusculis, sermonibus, & libellis, & propter quam seu quas cum suis dogmatibus & erroribus ab eadem S. Synodo damnati fuerunt tanquam hæretici, præmissorumque omnium damnationem professus, juravit se in hac fidei veritate permansurum. Et si ipse quidquam contra sentire, prædicare præsumpserit, Canonum severitati subjacere, & æternæ pœnæ voluit obligari, necnon suam professionem manu conscriptam eidem S. Synodo obtulit. Post quas professionem & abjuracionem multis diebus transactis, sicut canis ad vomitum rediens, ut virus pestilentissimum quod in suo latitabat pectore, publice evomeret, audientiam publicam sibi dari in eadem S. Synodo postulavit. Qua sibi concessa coram eadem Synodo publice congregata asseruit & professus est, quod



quod præfatae sententiæ damnationis dicto-  
 rum Joannis Wiclef, & Joannis Hufs Sæcul. XV.  
A.C. 1416.  
 inique consenserat, & illam sententiam ap-  
 probando mentitus est. Nec verebatur se  
 confiteri mentitum, quinimo confessionem,  
 approbationem, & professionem suas super  
 illorum damnatione revocabat nunc & in  
 æternum, asserens se in libris Joannis Wi-  
 clef, & Joannis Hufs nullam unquam hæ-  
 resin vel errorem legisse, licet ante fuerit con-  
 fessus & probatum sit evidenter, ipsum li-  
 bris eorum diligenter studuisse & legisse, &  
 in quibus constat plures errores & hæreses  
 contineri. Unde idem Hieronymus de Sa-  
 cramento Altaris & transubstantiatione  
 panis in corpus professus est se tenere & cre-  
 dere, quod Ecclesia tenet, dicens: se plus  
 credere Augustino, & cæteris Ecclesiæ Do-  
 ctoribus, quam Joanni Wiclef, & Joan-  
 ni Hufs. Constat insuper eundem prædictis  
 Wiclef & Hufs damnatis & eorum errori-  
 bus adhærere, illorumque fautorem esse, &  
 fuisse. Propter quæ eadem S. Synodus eun-  
 dem Hieronymum palmitem putridum, ari-  
 dum in vite non manentem, foras mitten-  
 dum decrevit, & decernit, ipsumque hære-  
 ticum & in hæresin relapsum, excommunica-  
 tum, anathematizatum, pronuntiat, de-  
 clarat, & damnat.



Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CXC.V.

Hieronymus Pragensis ad rogam damnatus.

*En. Sylv.  
hist. Bohem.  
p. 73.*

**H**ac sententia a Synodo unanimi omnium voto approbata, ac pronuntiatâ, Hieronymus Pragensis sæculari brachio traditur. Biduo supplicii executio dilata est, ut pœnitendi tempus concederetur morituro. Data est nonnullis, & inter alios Cardinali Florentino, eundem invisendi facultas, ut illum ad sinum Ecclesiæ reducere conarentur, sed furdas pulsabant aures. Hieronymus doctrinam suam retractare constanter renuens, sereno vultu repetitam sententiæ suæ lectionem excepit, & imperterrito vultu supplicii locum aspexit. Incedebat, alta voce Symbolum: *Credo* &c. recitans, & eundo Litanias, atque Hymnum B. V. Mariæ decantabat. Ad pegma ferale perveniens, ubi pariter Johannes Hussus extremum subiit supplicium, in prolixas effusus est preces, quas Carnifices vestibus eum spoliando, & ad palum alligando interruperant. Ubi ligna circum se posita conspexerat, iterato Symbolum Apostolicum decantavit, & mortem audacius appetiit, quam Stoicorum quisquam sustinuit. Succenditur rogam, & omnia ejus vestimenta in ignem conjiciuntur. Sic ergo misere  
inte-



interiit, nullo pœnitentiæ signo edito. Sæcul. XV.  
A.C. 1416.  
Demum cineres ejus sollicite collecti in Rhenum projiciuntur. Poggius Florentinus admodum nervose supplicii hujus seriem descripsit in quadam Epistola hanc in rem ad suum Leonardum Aretinum data, ex qua Poggium Hieronymo Pragensi plus justo affectum fuisse conjicimus. Ita sane ipse Aretinus de Poggio censuit, quocirca illum in suis ad Epistolam responsoriis desuper reprehendit, quamvis ceteroquin Leonardus quoque Hieronymo adeo infensus non fuerit.

§. CXCVI.

*Prælati absentes ad Synodum revocati.*

Peraçto hoc supplicio, omnium studia Vander  
Hardt tom.  
4. p. 614. convertebantur in depositionem Benedicti XIII. & novi Pontificis electionem.

In dies Benedicti fautorum aliqui ab eo defecerant, & frequentes Principum, ac Prælatorum Legati, vel Deputati hujus obedientiæ advenerant, ut sese Synodo subjicerent. Omnes quotquot expediebantur Epistolæ, ad normam Narbonnensis conventionis instruebantur. Cum vero plures Prælati ex aliis obedientiis sub diversis coloribus a Synodo recesserint, hæc Bullam promulgavit, qua omnibus Cardinalibus, Prælatiis, aliisque Viris tam Ecclesiasticis quam



Sæcul. XV. A.C. 1416. sæcularibus absentibus præcepit, ut vel per se vel per suos Procuratores intra trimestre Constantiam reverterentur.

## §. CXCVII.

*Epistola Imperatoris ad Synodum.*

*Ibid. p. 604.*  
*Et 780.* Patres hujus Bullæ fructum expectantes, interea ad alias causas animum adiecerunt, in hoc Imperatori morem gerentes, qui literis ad Synodum Lutetiæ die 5. Aprilis datis, altioris indaginis negotia usque ad adventum suum differri præcepit. Episcopus Tragurienfis in Dalmatia hanc Epistolam in quadam Congregatione generali die tertia Junii prælegit. Hac Imperator Synodum sollicitè rogat, ut incumberet Ecclesiæ ac Clericorum reformationi, eosque ad decentiam tam in vestitu, suppellectili, quam in moribus servandam adstringeret, & arma deferre eisdem prohiberet. Præterea curarent Patres, restitui omnia bona Ecclesiastica ab usurpatoribus injuste detenta, Archiepiscopum Moguntinum cohiberent, ne in Germania belli flammam accenderet, Argentinensem Episcopum libertati restituendum urgerent, nec ullam electionem in Regno Hungariæ confirmarent, Carolo de Malatestis omnes, quas ei promisissent, conditiones servarent, Joanni  
Con-



Contareno Electo Patriarchæ Constanti-  
nopolitano suam assererent dignitatem, in Poloniam mitterent Legatos, qui Regem & magnum Ordinis Teutonici Magistrum ad servandas biennales inducias compellerent; nullis Regis ac Reginae Neapolitanæ postulatis condescenderent, causam Mendicantium in suspenso relinquerent, & tandem Religiosos Ordinis S. Pauli Eremitas a ducentis abhinc annis scilicet MCCXV. in Hungaria stabilitos ad nullas promoverent Prælaturas.

Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CXCVIII.

*Epistola Apologetica Archiepiscopi Moguntini.*

Lecta hac Imperatoris Epistola Patres ad alias digressi sunt causas. Præ-  
primis Bohemi, eo quod citati non obtemperarint, contumaces declarati. Henricus quoque Nitardus Moguntini Archiepiscopi orator exhibuit epistolam, in qua Præsul iste absentiae suæ veniam petit, decrepitam causatus ætatem, postea se a quibusdam accusationibus purgavit, testatus, se nunquam nec contra Ecclesiam Romanam, nec contra Synodum, nec contra Imperatorem quicquam molitum esse. Admisit Synodus Præsulis hujus excusationem, simulque quemdem Joannem Creit Leodiensē, Abbreviato-

*Vander Hardt to. 2. p. 444. & 445.*



Sæcul. XV. viatorem Apostolicum officio suo dejecit,  
A.C. 1416. utpote de Simonia, & literarum Apo-  
 stolicarum falsificatione convictum: Ac-  
 cusabatur quoque, quod triginta Benefi-  
 cia vendidisset, & plura eorum, quæ  
 simul possidere jura vetant, sibi refer-  
 vasset. Eadem die Elector Palatinus al-  
 tero mense absens ad Synodum rediit,  
 Comite Nellemburgico interim illius vi-  
 ces tanquam Concilii protectore supplente.

## §. CXCIX.

*Theodorici de Niem obitus, & ejus  
 opera.*

*Spond. an.* Sexto die Junii Theodoricus de Niem  
*1416. n. 9.* Paderbornæ in Westphalia natus, &  
*Dupin. Bibl.* pluribus a tempore schismatis Pontifici-  
*20. 12. p. 86.* bus a secretis, necnon Joannis XXIII.  
 ad Constantiense Concilium itineris so-  
 cius, e vita excessisse dicitur. Dupinus  
 inquit, eum juxta nonnullos auctores,  
 Episcopum Verdensem, & postea Came-  
 racensem fuisse, quod tamen vix verisi-  
 mile est. Hujus historia *de schismate Pa-*  
*parum* ab obitu Gregorii XI. usque ad  
 electionem Alexandri V. in tres distincta  
 est libros, quibus aliud opus sub titulo:  
*Nemus unionis* adjecit, in qua habentur  
 autographa occasione hujus schismatis  
 ultro citroque scripta. Quam primum  
 Joannes XXIII. e Concilio aufugerat,  
 In-



*Investivam* contra hunc Pontificem scripsit, in qua vitia & corruptos illius mores fuso, sed amaro nimis stylo insectatus est, quod opusculum e Bibliotheca Helmstatiensi extractum, Vonder Hardtus publici juris fecit. Alium adhuc composuit librum Constantiæ, *Historia luculenta de Concilio & vita Joannis XXIII.* continuata usque ad punitionem Joannis Creit Simoniaci, cujus mox meminimus. Exstat quoque alius quidam tractatus *de juribus & privilegiis Imperatorum quoad investituras Episcoporum.* Dictio hujus Auctoris est oppido aspera & inconcinna, quamvis ceteroquin ævi sui gesta non minori fide ac solertia, quam verborum gravitate referre videatur.

## §. CC.

*Oratores Regis Lusitaniæ ad alloquium a Synodo admissi.*

Die quinta Junii Oratores Joannis Lusitaniæ Regis, qui non ita pridem Constantiam venerant, a Synodo audiebantur. Nomine sui Regis, qui hucusque Joannis XXIII. partibus adhærebat, Patribus sacramentum præstabant, simulque nunciabant, Saracenos a Lusitanis fusos fugatosque, ac Septam Africæ urbem unacum portu fuisse captam.

Mox

Sæcul. XV.  
A.C. 1416.



Sæcul. XV. Mox Episcopus Saresberienſis, & poſt  
A.C. 1416. ipſum Cardinalis Florentinus hanc in rem  
 ſermones declamabant, quibus Regem,  
 & Luſitanam Nationem inſignibus eſſe-  
 rebant elogiis.

## §. CCI.

*Episcopus Argentinensis in Synodo.*

**P**aucis ex poſt diebus ſcilicet 27. Junii  
 habita eſt generalis Congregatio, in  
 qua Henricus Latzenbogiſ, quem Sy-  
 nodus ad liberandum, & Synodo ſiſten-  
 dum Argentinenſem Episcopum miſerat,  
 hunc Præfulem in Concilio produxit. Ser-  
 monem habuit Episcopus Saresberienſis,  
 in quo hujus Episcopi negligentiam in  
 adminiſtranda ſua Diœceſi, necnon Capi-  
 tuli, urbiſque violentias illi illatas acri-  
 ter inſectatus eſt. Quo factò duo Cardi-  
 nales, totidemque Prælati ex qualibet  
 Natione nominabantur, qui cauſam hanc  
 in bonum utriuſque partis componerent.  
 In eadem quoque Congregatione lecta  
 fuit Epistoſa Arragonum Regis, qua ſi-  
 gnificabatur, Regem omnibus Regni ſui  
 Prælatiſ, ut quarta Julii Conſtantiaë  
 aſſent, ſub gravibus pæniſ injunxiſſe.  
 Actum denique de lite inter Electorem  
 Palatinum, & duos ejus fratres, Gui-  
 lielmum, & Othonem ob quadaſ poſ-  
 ſeſſiones exorta, ſed nihil hac in cauſa  
 deciſum fuit.

## §. CCII.



§. CCII.

Sæcul. XV.

A.C. 1416.

*Latzenbogius Hussitismum execratus.*

Henricus de Latzenbog supra nomina-  
tus, Bohemiæ Nobilis, & Joannis *Reichen-  
tal* p. 17.

Hussi Constantiam euntis socius, ejusdem defensionem ab initio ardenti studio susceperat; Postea vero Imperatori nominis sui fama notus, ab eo magni habitus, multisque benevolentiae signis cumulatus fuit. Is ipse Sigismundum Aquisgrani conveniens, nuntium de eisdem Coronatione Constantiam detulit, eundemque in caussa Argentinensis Episcopi honorifica functum legatione mox percepimus. Qui tamen favores minime obstabant, quominus de Hussitarum secta identidem postulatus fuisset, quinimo prima Julii die coram Congregatione citatus fuit, ubi tamen, ut nonnulli tradunt, suos errores abjuravit, & Joannem Hussum ac Hieronymum Pragensem juste fuisse damnatos professus est, quamvis nonnulli Scriptores, præsertim Dacherius, de sinceritate hujus abjuracionis dubitent.

§. CCIII.

*Epistola Arragoniæ ac Castellæ Regum ad Concilium de Legatis Constantiam mittendis.*

Dum interea adventus Legatorum, *Spond. an.*  
quos 1416.



**Sæcul. XV.** quos Arragoniæ, Castellæ, & Navarræ  
**A.C. 1416.** Reges mittere pollicebantur, avide in  
 Concilio expectabatur, Patres Synodi  
 Literas acceperunt ab Arragonio, in  
 quibus moram suam purgavit, mortem  
 caussatus Ferdinandi Patris sui, petita  
 etiam unius mensis dilatione pro Lega-  
 tis suis ad Synodum mittendis. Interea  
 tamen Antonio Taxal usque ad eorum  
 adventum nomine suo plenam dedit  
 agendi facultatem, quicquid ad promo-  
 vendum unionis negotium necessarium  
 judicaverit. Placuit plurimum Synodo  
 hæc epistola, quæ & in quadam Con-  
 gregatione lecta fuit, ubi Cardinalis Za-  
 barella de unione Ecclesiæ concionem  
 habuit. Non alio ex capite Legationis  
 Castellanæ adventus differebatur, quam  
 ob minorem Joannis Regis ætatem, ac  
 præcipue propter molimina Toletani &  
 Hispalensis Archiepiscoporum, & non-  
 nullorum Præfulum, qui obeunte Fer-  
 dinando Castellani regni Administratore  
 nil inausum relinquebant, ut Benedicti  
 partes redintegrarent, ast eorum ar-  
 tes feliciter evertit Alphonsus, qui om-  
 nium animos ad servandam capitula-  
 tionem reduxit. Hujus facti nuntium  
 accepere Patres die decima quarta Julii  
 per literas Regis, ac Reginae Castellæ,  
 lectas in quadam Congregatione, quæ a  
 Deputatis Nationum fuerat convocata.

§. CCIV.



§. CCIV.

Sæcul. XV.  
A. C. 1416.

*Hussitæ Bohemi ad Concilium vocati.*

Celebratæ sunt aliæ Congregationes usque ad sequentem sessionem, in quibus de dissidiis Episcopi Tridentini cum Friderico Austriæ Duce, necnon & de citatione Hussitarum in Bohemia agebatur. Hoc edicto fere quingenti Bohemi intra certum temporis spacium Constantiæ comparere jubebantur. Insuper Synodus, requirente Promotore, Patriarchæ Constantinopolitano præcepit, audiret Bohemos, ac de causa summarie cognosceret usque ad sententiam definitivam exclusive.

*Vander Hardt to. 4. p. 822.*

§. CCV.

*Adventus Legatorum Arragonensium.*

Tandem quinto Septembris die, Legati Arragonum Regis advenerunt, multis honorum signis excepti. Horum erant quinque, sextum locum tenentè Antonio Taxal, qui jam antea aliquo tempore Constantiæ versabatur. Decima currentis Mensis die, in Generali Coetu ad alloquium admittebantur, ac inter eos *Speransdeus* de Cardonna, Doctor, nomine ceterorum verba fecit, exponens missos se Constantiam eo

*Schelfstr. act. Conc. p. 251.*

*Hist. Eccles. Tom. XXVI.*

Q con-



**Sæcul. XV.** confilio, ut unacum Conventu, (non enim Concilium appellabant) extirpationi schismatis ac hæresum, unioni Ecclesiæ, ejusque emendationi in capite & membris, necnon Electioni novi Pontificis sedulam navarent operam. Nominè vero sui Regis ac suorum collegarum paratum se exhibebat, ad exacte exequendam Narbonnensem conventionem prout ipsis in mandatis datum esset, quam primum congregationi fuissent aggregati. Gratiarum actionem hisce Legatis exsolvit Cardinalis Vivariensis quadam oratione, in qua felicitis recordationis Ferdinandum Regem, ejusque successorem multis laudibus extulit, & fuso sermone Benedicti pertinaciam perstrinxit. Eadem fere Cardinalis Florentinus peroravit, & multis benevolentiae ac mutuae amicitiae signis utrinque exhibitis, generalis hæc congregatio soluta est.

## §. CCVI.

*Oratio Joannis Gersonii de B. Virgine.*

**Gerson. to.**  
**3. p. 1436.**

**A**liquot abhinc diebus, scilicet die octava ejusdem Mensis Cardinalis Cameracensis publice proposuit hanc quæstionem: utrum plenitudo potestatis Ecclesiæ in solo Romano Pontifice resideat? Eodem die Gersonius sermonem habuit







**Sæcul. XV.** Romana urbe, prout tamen infimulabantur. **A.C. 1416.** Postmodum quidam Imperatoris Advocatus contra Regis Hungariæ, Croatiae, & Dalmatiæ titulum, quem sibi Rex atque Neapolis Regina arrogaverant, intercedebat. Pari modo Cardinalis S. Marci exceperat contra titulum Regis Siciliæ & Hierosolymæ, quem iidem quoque assumpserant. Quibus tamen Neapolitani Legati Responsis suis plene satisfecerunt; quo factum, ut Synodus illud innovaret Decretum, vi cuius jam antea sancitum, ne gradus, tituli, vel sedes, quas quisque in Congregationibus vel Sessionibus teneret, in ullius præjudicium cederent.

## §. CCVIII.

*Epistolæ Regis Poloniæ, & Magistri Ordinis Teutonici ad Synodum.*

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 861.*

Præterea tres epistolæ ad Synodum delatæ prælegebantur, quarum una a Ladislao Poloniæ Rege, & Witholdo Duce, altera a Michaele Cochmeistero supremo Teutonici Ordinis Magistro, tertia demum ab Universitate Cracoviensi scripta erat. Ladislaus commendat studium, quod Synodus in extirpanda Hæresi nec non in Ecclesia denuo sub uno Capite unienda luculenter comprobasset, testaturque, se hucusque inducias Polonos



nos inter & Teutonicos sancitas integra fide observasse. Pari voto Magnus Ordinis Magister in sua epistola, se hanc pacem nullo pacto violaturum spondit, supplicans, ut Synodus Ordinem suum cum Polonis stabili foedere conjungere niteretur. Vix non eadem in suis quoque literis Cracoviensis Academia expressit, ac vere ardens Ecclesiae in Capite ac membris restaurandae desiderium prodidit, pollicita, se haud segnius quam ipsum Concilium in castigandis haereticis processuram, denique impense rogat Praelatos, ut & ipsi divinae, humanaeque scientiae studia restaurarent, Universitates jamiam erectas beneficiis cumulando, celebriores Professores advocando, ac honestis stipendiis alliciendo, novasque Cathedras fundando. Cracoviensis Universitas ab erectionis suae epocha sexdecim duntaxat numerabat annos.

Saecul. XV.  
A.C. 1416.

§. CCIX.

*Joannis Parvi caussa denuo ventilata.*

Decreverant equidem Commissarii in *Gerson.to.II* caussa Joannis Parvi sententias Doctorum publici juris facere; cum tamen, quamvis jam ad undecimam Aprilis harum publicatio praefixa fuisset, necdum eas publicassent, ideo Ducis Burgundiae Legati hujus sanctionis executionem omnibus

Q 3

viri-



Sæcul. XV. viribus urgebant. Ad Imperatorem quo-  
A. C. 1416. que, nomine sui Ducis, prolixam mit-  
 tunt supplicationem, multis questi-con-  
 tra Galliæ Legatos, & præcipue contra  
 Gersonium, qui, ut inquiebant, justitiæ  
 cursum impediret. Econtra Galli recu-  
 satis Commissariis, totum negotium ab  
 ipso Concilio sine forensi strepitu dijudi-  
 candum esse contendebant. In quem fi-  
 nem collimabat Epistola Academiæ Pa-  
 risiensis ad Synodum, & quoddam hu-  
 jus Urbis Senatus consultum die 19. Se-  
 ptembris promulgatum. Ast Burgun-  
 diæ Dux, ut consilium istud everteret,  
 ad Synodum literas dedit, eidemque  
 per novam Legationem sua exposuit que-  
 relarum momenta. Habemus in operi-  
 bus Gersonii mandata, quæ Dux iste  
 novis hisce Legatis dederat.

## §. CCX.

*Reditus Deputatorum ad Reges Ca-  
 stellæ & Navarræ a Synodo mis-  
 sorum.*

Cum Oratores a Concilio ad Reges Na-  
 varræ & Castellæ, atque ad Comi-  
 tes Fuxum, & Armeniacum missi, re-  
 verterentur; in quadam generali Con-  
 gregatione die decima nona Septembris  
 habita, Concilio rei gestæ rationem red-  
 didere. Eodem tempore per hosce Re-  
 ges



ges ac Proceres subtractæ Benedicto o-Sæcul. XV.  
 bedientiae instrumenta, & Narbonensis A.C.1416.  
 pacti confirmatio, cum literis eorum te-  
 stimonialibus lectæ fuerunt.

Jam supra perspeximus, quod Synodus ea, quæ Gregorius alias canonicè in sua obedientia gessit, ordinavit, atque concessit, rata habens hæc verba: *in sua REALI obedientia*, adjecerit. Nunc vero hæc ipsa vox *realis* plurimum forensium litium ac cavillationum origo exitit. Archiepiscopus Moguntinus, antiquus Joannis XXIII. fautor, universa Gregorii acta in locis Moguntinæ Diocesis, ubi tanquam Papa agnoscebatur, ideo nulla haberi voluit, quod hæc obedientia non *realis*, sed falsa ac illegitima fuisset, non attendens, quod *realis* ista obedientia secundum mentem Concilii non alia sit, quam *effectiva*, atque universalis, qua Papa in aliquo loco gaudet, etsi in dicto loco unus vel alter privatus eum ut talem non agnosceret, proin Gregorii XII. obedientia *realis* fuit in omnibus locis, ubi pro Papa habebatur, ejus decreta servabantur, Legati & Commissarii recipiebantur, econtra vero æmuli sui oratores ibidem repudiabantur.



Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CCXI.

*Decretum Synodi circa obedientiam  
realem Gregorii XII.*

Concordat cum præfata explicatione sequens Decretum Concilii: ut utraque Gregorii XII. & Joannis XXIII. obedientia in pace concordiaque vivere valeant, sacrosancta Synodus omnes processus, pœnas, sententias & censuras Ecclesiasticas per quoscunque Judices, Commissarios & executores, ab olim dicto Joanne XXIII. & aliis quibuscunque Deputatis, contra quoscunque, qui auctoritate Gregorii beneficia Ecclesiastica in Dominiis Electoris Palatini, & Ducum Bavariæ, Joannis, Stephani, & Othonis fratrum suorum, & Henrici & Guilielmi Brunswicensium & Luneburgensium Ducum, & Hermanni, ac Ludovici Landgraviorum Hassiæ, assescuti sunt, tamdiu donec per eandem Synodum, vel futurum Pontificem realis obedientia Gregorii XII. declarari contigerit, suspendit, inhibens omnibus cujuscunque fuerint dignitatis, ne contra hanc suspensionem, & relaxationem aliquid attentare præsumant.

§. CCXII.

*Libellus Cardinalis Cameracensis de  
potestate Ecclesiastica.*

Gerson. to.  
2. p. 917.

Cardinalis Cameracensis unice intentus, ut Hispanos Synodo aggregaret,



ret, & Benedicto deposito novi Pontificis electionem suaderet, tractatum de potestate Ecclesiastica composuit, quem publice recitari voluit. Totus in eo est, ut nonnulla scripta ac sermones confutaret, qui ad infirmendam Concilii auctoritatem, atque ad Papalem & Cardinalitiam supra illud elevandam tendebant. Hoc opusculum in tres dividitur partes. In prima Auctor tractat de origine potestatis Ecclesiasticæ, in secunda de juribus Ministrorum Ecclesiæ in bona Ecclesiastica. In Tertia, de plenitudine potestatis Papalis, & utrum Concilio Generali subdita sit, vel non? Potestatem per Jesum Christum Apostolis datam ad sex reducit capita, nimirum ad Sacrorum Ordinum collationem, Sacramentorum administrationem, Verbi divini prædicationem, judiciariam correptionem, Ministrorum Ecclesiæ designationem, ac denique ad auctoritatem, qua inter Ministros debitam subordinationem stabilire, & quæ pro eorum sustentatione necessaria sunt, recipere possunt. Agens vero Cardinalis de jure in bona Ecclesiastica, inquit, quod Papa & Prælati non ut Vicarii Christi, aut successores Apostolorum in bona temporalia potestatem ac jurisdictionem habere valeant, bene tamen, si ejusmodi bona titulo charitatis ad eos deveniunt, vel alias juste ac-

Q 5

qui-

Sæcul. XV.

A. C. 1416.



Sæcul. XV. A.C. 1416. quisita fuere. Tandem de potestate Pa-  
pæ tradit, quod S. Petrus sit caput Ec-  
clesiæ, quatenus est primarius inter Mi-  
nistros, cum Christus Dominus illi titu-  
lo longe specialiori, ac aliis claves de-  
didisset, in virtute horum verborum: *Pa-  
sce oves meas.* Hoc idem ad successores  
Petri extendit Cardinalis.

## §. CCXIII.

*Sessio vigesima secunda.*

*Labbe Conc.* *to. 12. p. 192.* Cum a trigesima Maji die nulla Sessio  
publica celebrata fuisset, tandem de-  
cima quinta Octobris habita est Sessio vi-  
gesima secunda, in qua Patres Arrago-  
niæ Legatos Synodo aggregare niteban-  
tur; cum vero hi Concilium venerari  
renuerent, donec per eos illius convo-  
catio fieret, & secundum Narbonnensem  
Capitulationem solemniter eidem adjun-  
cti fuissent, ideo in hac sessione, consue-  
ta solemnia primum post peractam unio-  
nem, atque convocationem persoluta  
fuere.

## §. CCXIV.

*Consilium de quinta Natione ex Hi-  
spanis instituenda.*

*Ibid. p. 192.* *Et seq.* *Schelstrat.* *comp. Chro-* *no. p. 53.* Nonnullæ prius ortæ fuere contentio-  
nes; Patres enim meditabantur ex  
Hispanis quintam erigere Nationem,  
quæ



quæ complecteretur Arragoniam, Castellam, Navarram, omnesque possessiones Regis Arragoniæ, ultra citraque mare sitas. Cum vero Legati Lusitaniæ jamjam quinta Junii Constantiam delati, pro sua Natione idem postulassent, & tamen repulsam tulissent, hinc quintam Hispanorum Nationem erigi recusabant, hanc prærogativam Regi suo injuriosam esse arbitrati. Qua intercessione admissa ad ulteriora procedebatur.

Sæcul. XV.  
A.C.1416.

§. CCXV.

*Arragonum Legati penes Gallicæ Oratores collocati.*

Hucusque Legati Neapolitani locum post Oratores Gallos proximum tenuerunt, advenientibus vero Castellæ Legatis Neapolitani sedem suam his cedere, ac post Nuncios Angliæ confidere rogabantur. Acquieverunt illi pacis tuendæ studio, ita tamen, ut nullum inde eorum Regi præjudicium nasceretur. Quam declarationem Synodus per Decretum ibi promulgatum confirmavit. Itaque Arragonenses Gallis adjuncti fuere. Gersonius Legationis Gallicæ caput, in primo sedebat loco, post eum locabatur Comes Cardonnæ Arragonensis, postmodum Gallus, & denuo Arragonensis, & sic de singulis. Mutua omnium erat de-

*Vander Hardt.*



Sæcul. XV. declaratio, quod alternum hunc ordi-  
A.C. 1416. nem, mere unionis servandæ gratia,  
 admitterent, de cetero nullatenus per  
 hoc quicquam suis juribus derogatum  
 vellent, quæ eorum protestatio a Syno-  
 do admiffa fuit.

## §. CCXVI.

*Arragonenses Concilium convocant,  
 & in eo sessionem habent.*

Quo factò Arragonenses Legati nomi-  
 ne universæ obedientiæ Benedicto  
 addictæ Concilium convocant, lectaque  
 fuit per Archiepiscopum Mediolanen-  
 sem hæc convocatio & approbata a Sy-  
 nodo. Deinde iidem concilio se accedere  
 declararunt, quibus synodus pariter con-  
 sentiebat. Hac mutua unione confecta Car-  
 dinales, aliique Prælati Pontificalia indue-  
 runt ornamenta, & Cardinalis Vivariensis  
 locum Præsidis occupavit, omnibusque pe-  
 ractis de more solemnibus lecta fuere De-  
 creta. Primo concedebatur Arragonensi-  
 bus, peculiarem sub nomine nationis Hi-  
 spanicæ, nationem constituendi facultas,  
 hac tamen lege, ut Lusitaniæ, Castel-  
 læ, & Navarræ Reges eadem potirentur  
 prærogativa, si eam petituri essent. Se-  
 cundum Decretum præcipit executionem  
 capitulationis Narbonnensis circa omnes  
 & singulos articulos; qui eodem tempo-  
 re



re ab universa Synodo confirmati fuerunt, Sæcul. XV.  
 & Hymno *Te Deum* decantato sessio so- A.C. 1416.  
 luta est.

§. CCXVII.

*Joannes de Campis propositiones Jo-*  
*annis Parvi damnari postulat.*

Absoluta sessione Joannis Parvi caussa Gerson. tom.  
 denuo magna contentione utrinque 2. p. 417.  
 agitata fuit. Joannes de Campis, alias  
 Campani, Procurator Regis Galliæ in  
 negotio reformationis Ecclesiæ petiit, ut  
 Synodus sine forensi strepitu, & absque re-  
 spectu ad personam cujuscunque, sine cun-  
 ctatione suam sententiam proferret, utrum  
 Joannis Parvi propositiones sint veræ vel  
 falsæ? secus enim futurum, quod Syno-  
 dus vel ignorantia, utpote nescia an hæc  
 propositio de fide esset, vel timiditatis,  
 vel saltem oscitantia accusaretur. Fir-  
 maverat postulatum suum variis argu-  
 mentis, quæ potissimum erant iteratæ  
 Imperatoris, Regis Galliæ, & Acade-  
 miæ Parisiensis preces, ipsius hujus do-  
 ctrinæ scandalum, utpote quam plures  
 perniciosam censerent, necnon damnatio  
 generalis propositionis, jamiam a Syno-  
 do facta, quæ particularium propositio-  
 num consecutio esset. Hæc petitio us-  
 que adeo Ducis Burgundiæ Legatos ira  
 accendit adversus Gallos, ut hi securi-  
 tati



Sæcul. XV. tati suæ datis literis caveri a Carolo VI.  
A.C. 1416. petere cogerentur. Has ex voto impe-  
 tratas Gersonius die undecima, & Simon  
 de Theram decima septima Octobris ex-  
 hibuere. Dein Galli contra Commissa-  
 rios, qui causam ad Synodum remitte-  
 re detrectabant, exceperunt. Sed iidem  
 Commissarii hanc protestationem nullam  
 esse vigesima octobris declararunt, nec  
 quid amplius hac in re statutum fuit.

## §. CCXVIII.

*Synodus confluentium frequentia ce-  
lebrior.*

Auctum est Concilium indies adventu plurimorum Legatorum e terris Benedicti obedientiam antehac professis. Advenerant Angli, & inter ceteros Richardus Cliffordus, Londinensis Episcopus, duo Cancellarii Universitatis Oxoniensis, & Cantabrigiensis, alique duodecim Doctores, qui nationis Anglicæ numerum auctoritatemque firmarent. Pariter accessere die vigesima septembris Lichtfeldiensis, & Norvicensis Episcopi: Nil ergo iudicii actis contra Benedictum XIII. prosequendis ultra obstare videbatur, qui nihilominus Pontificatum semper in castro Paniscolæ pertinaciter gessit, & contra Ecclesiam ac Synodum sua vibra-  
 vit fulmina. Igitur pro illius solemnæ ac  
 Ca-



Canonica depositione Sessio sequens in-  
dicebatur. Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CCXIX.

*Sessio vigesima tertia.*

Habita est quinta die Novembris sessio *Labbe Conc.  
to. 12. p. 198.*  
XXIII. cui de more Cardinalis Viva-  
riensis præfuit, & Patriarcha Antioche-  
nus Missam de Spiritu sancto cantavit;  
Sermonem habuit unus ex Synodalibus  
Advocatis, qui calamitates Ecclesiæ a  
Benedicto oppugnatae recensuit, hunc  
vero tanquam schismaticum & tyran-  
num depinxit, cuius jugum excutere  
oporteret. Absoluta hac oratione Archi-  
episcopus Mediolanensis recitavit consti-  
tutionem Synodi, qua nominabantur  
duodecim Commisarii, partim Cardina-  
les & Episcopi, partim & Doctores, Ju-  
dicii acta contra Benedictum instructuri.

§. CCXX.

*Commisarii, qui in Benedictum XIII.  
inquirerent, denominati.*

Commisarii constituti erant sequentes. *Ibid. p. 199.*  
Cardinales, S. Marci & Florentinus,  
Joannes Patriarcha Constantinopolita-  
nus, Stephanus Episcopus Dolensis, Ro-  
bertus Saresberiensis Episcopus, Jaco-  
bus electus Episcopus Parmensis, Gui-  
lielmus Pulchrinepotis, Antonius Taxal  
Gene-



Sæcul. XV. Generalis Ordinis de Mercede, necnon  
A. C. 1416. Mauritijs Pragensis, & Michael de Ma-  
 vers, Theologiæ Doctores, Nicolaus  
 Vordis, ac Joannes Wellis, juris periti. In  
 eadem sessione inter Arragonenses, & An-  
 glos oratores magna exorta sunt diffidia,  
 quibus ansam præbuit novæ Nationis col-  
 legium erigendi jus, quod antea a Conci-  
 lio Arragonensibus concessum erat. U-  
 trinque acriter disceptatum, tandem ve-  
 ro lis composita est.

## §. CCXXI.

*Accusationum capita contra Benedi-  
ctum.*

*Vander  
 Hardt to. 4.  
 p. 969.*

Sessione finita Commissarii, provincia  
 sibi concredita defuncturi, septem se-  
 ligunt Notarios, qui instrumenta confi-  
 cerent, adjunctis tribus Advocatis, Pro-  
 motoribus, & Apostolicis cursoribus,  
 qui citationes affigerent. Omnes Judi-  
 cii actus in Palatio Episcopali exercen-  
 dos esse, statuebatur. Articuli, super  
 quibus Promotores testium depositiones  
 exciperent, erant sequentes. I. Bene-  
 dictus Schisma fovet, etiamsi pluries de-  
 claraverit, viam cessionis ad illud extin-  
 quendum unicum esse medium. II. Su-  
 per sacrosanctis Evangeliiis juravit se ces-  
 surum absque omni mora, si ipse elige-  
 retur. III. Cedere sollicitatus fuit a Re-



ge Galliae, pluribus Principibus, Academia Parisiensi, & ab omnibus fere suis Cardinalibus. IV. Contra viam cessionis, tanquam medium illegitimum, publice excepit. V. Eandem recusavit, quamvis Martinus Arragoniae Rex illum ad eam amplectendam impense rogasset. VI. Se Papatu cessurum promisit atque juravit, si pariter suus aemulus cederet, illudque coram suis Cardinalibus Pontisforgiae iterato repetiit. VII. Etiam post mortem Innocentii VII. in hac repugnantia contumax perseveravit. VIII. Mille tergiversationibus cessionis viam eludit, Legatis Galliae turpiter illudendo. IX. In Concilio Perpiniensi a se convocato cedere jurato spondit, & fidem suam liberare sollicitatus respondit, irreparabile damnum se illaturum Ecclesiae, si ulterius sibi hac propositione molesti essent. X. In schismate perseveravit, licet universus Orbis Christianus Constantiam confluxisset, ut pacem Ecclesiae redderet. XI. Imperatori Perpinianum venienti, ut ei cessionem suaderet, pervicacius quam antea restitit, & nil sollicitus de extinguendo schismate, Paniscolam aufugit. XII. Tandem ob praefata fautor Schismatis, haereticus, & schismaticus obduratus ab omnibus Christianis reputandus est.

§. CCXXII.  
R

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI,*

sæcul. XV.  
A.C. 1416.



Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

§. CCXXII.

*Obitus Ducis Brunsvicensis.*

Bzov. an.  
1416 p. 303.

Interea cum omnium ferverent studia in instruendis contra Benedictum iudicii actis, Henricus Brunsvico-Luneburgicus Dux Constantiæ in morbum incidit. Hic natale solum ad recuperandam sanitatem sibi magis propitium fore ratus, patriam repetiit, sed in itinere Ulzenam versus viam æternitatis ingressus est, relictis duobus filiis, Successoribus suis. Dudum Gregorii XII. partes fovebat, quinimo Pisano Concilio, a quo depositus est Gregorius, obluçtatus est. Cum vero opera Sigismundi Concilium Constantiense convocaretur, Henricus Brunsvicensis, aliique Principes Gregorio obedientiam olim profitentes ei scripserunt, ut cum ipsis quævis ad procurandam Ecclesiæ unionem aptiora amplecteretur media. Illico Dux suos Legatos Constantiam præmisit, quos & ipse postmodum secutus est, sicque quamvis ad bellica negotia natum foveret animum, nihilominus non modicam sollicitudinis partem componendis præsentis temporis Ecclesiæ diffidiis impendebat.

§. CCXXIII.



§. CCXXIII.

Sæcul. XV.

A. C. 1416.

*Sessio vigesima quarta. Benedictus  
in Synodo comparere iussus.*

**C**aussa Benedicti sedulo ventilabatur. *Labbe Conc. to. 12. p. 201.*  
Die 6. Novembris Cardinalis Viva-  
riensis, & Patriarcha Antiochenus, se-  
quenti vero die quatuor illi Cardinales,  
octo Episcopi, & viginti alii testes; Or-  
dinum Generales, Curia Romanæ Offi-  
ciales, & Doctores in manibus Commis-  
sariorum sua deposuerunt juramenta. In-  
structis ergo omnibus ad citationem hu-  
jus Antipapæ necessariis, & solemnibus  
de more peractis, die vigesima octava  
Novembris habita est sessio vigesima quar-  
ta, cui initium dedit Cardinalis Floren-  
tinus; Hic miserum plane statum, quo  
Ecclesia tanto tempore premeretur, ser-  
mone admodum gravi exposuit, tandem-  
que citationem Benedicti haud ultra dif-  
ferendam conclusit; idem cum peterent  
Synodi quoque Promotores, unanimi  
suffragio decreta est citatio; Ergo sanc-  
tum, quod intra terminum duorum men-  
sium, & decem dierum a die citationis  
factæ computandorum comparere tene-  
retur, & citationis decretum, si fieri  
posset in valvis castri Paniscolæ, si vero  
tutus non esset accessus, in locis vicini-  
oribus, v. g. Dertusiæ affigeretur. Lecto  
hoc Decreto, quod eodem die ad portas

R 2

Eccle-



Sæcul. XV. Ecclesiarum urbis Constantiensis affixum  
A.C. 1416. est, discesserunt Patres.

## §. CCXXIV.

*Legati Comitis Fuxi ad Synodum.*

*Schelstr. act. Conc. p. 251.* Synodus jam antea ad Albanie Ducem, qui durante Regis Roberti captivitate Scotie Regnum administrabat quemdam Fratrem Ordinis Prædicatorum natione Scotum ablegavit. Hic Constantiam redux, ejusdem Ducis epistolam detulit, in qua se brevi solemnem legationem, animo sese Synodo uniendi, expediturum pollicitus est. Eodem tempore duo Episcopi, Comitis Fuxi legati, advenerant, & Cardinali de Fuxo se junxerant, ut a Patribus admitterentur, quod die decima quarta Decembris ante sessionem XXV. eodem ritu peractum est, quo Arragonenses Oratores antea Concilio aggregati fuere.

## §. CCXXV.

*Sessio vigesima quinta.*

*Labbe Conc. to. 12. p. 206.* Postquam Legati, nomine Comitis Fuxi, Synodum convocaverant, Sessio hæc initium habuit, ubi Legatis pacti Narbonnensis executionem pollicitantibus, sicut ceteris suæ quoque sedes assignabantur. Occurrit insuper in actis hujus



jus Sessionis decretum, hujus tenoris: Sæcul. XV.  
A.C. 1416.  
*Sacrofancta Synodus comittit regimen Ec-*  
*clesiæ Olomucensis vacantis per obitum Wen-*  
*ceslai Antiocheni Patriarchæ, qui eam ha-*  
*bebat in commendam, Joanni Episcopo Li-*  
*tomisliensi, donec novus Pontifex eligatur.*  
 Præterea nominati fuere ex Natione Hi-  
 spana Commissarii ad quædam negotia  
 expedienda vocati; demum innovatæ  
 fuerunt Constitutiones, quibus Synoda-  
 lium membrorum salutis, & boni regimi-  
 nis conservacioni provisum est, eo fine;  
 ut in Constantiensi urbe omnis tumultus,  
 & diffidia forte oritura præcaverentur.

## §. CCXXVI.

*Sessio vigesima sexta.*

Die decima sexta Decembris, venien- *Labbe ib.*  
 tibus ad Synodum Navarræ Regis *p. 207.*  
 Oratoribus, curabant Patres, ut ad Con-  
 cilium admitterentur eo modo, quo alii  
 Legati recepti fuere, cui negotio Sessio-  
 nem vigesimam sextam die vigesima  
 quarta Decembris dicarunt. In ea ab  
 initio Episcopus Aretinus nomine Syno-  
 di prælegit Constitutionem de ordine &  
 loco, qui a Nationibus in ferendis suffra-  
 giis, vel subscriptionibus servandus esset.  
 Qua lectione finita Oratores Caroli Na-  
 varræ Regis Concilio aggregati fuere,  
 adhibitis solemnibus in tali actu alias con-  
 fue-



Sæcul. XV. fuetis. Varia quoque tam a Rege, quam  
 A.C. 1416. a diversis Navarrensis Cleri partibus in-  
 junctæ potestatis mandata legebantur;  
 quibus omnibus peractis Sessio finem ha-  
 buit.

## §. CCXXVII.

*Epistola Synodi ad Imperatorem de  
 Hussitis.*

*Vonder  
 Hardt to. 4.  
 p. 1077.*

*Dubrav. hist.  
 Boh. l. 23.*

Cum Hussitæ Bohemiam ingentibus di-  
 vexarent tumultibus, & non modo  
 se a Catholicorum communione penitus  
 separare meditarentur, sed etiam armo-  
 rum vi novellæ suæ sectæ libertatem in-  
 troducere pararent, Synodus consultum  
 fore censuit, ut datis ad Cæsarem lite-  
 ris hujus populi proterviam, atque in  
 erroribus pertinaciam eidem ob oculos  
 poneret. Hussitæ enim impune Clerico-  
 rum bona diripiebant, scandalosos, &  
 contra Synodi decreta infames divulga-  
 bant libellos, ubique sub duplici specie  
 S. Communionem administrabant, ac-  
 ceptoque Joannis Hussi, & Hieronymi  
 de Praga supplicii nuncio, eorum disci-  
 puli in unum congregati utriusque me-  
 moriam velut Sanctorum Martyrum con-  
 secrabant, celebrandamque quotannis  
 decernebant: Ex adverso Synodus Wen-  
 ceslaum vecordia, ac in tolerandis his-  
 ce tumultibus negligentia incusabat,  
 quinimo ac si Hussitas protexisset, in su-  
 spicio-



spicionem eundem trahebat. Nec du- Sæcul. XV:  
A.C. 1416.  
bium est, quin Rex iste, licet horum  
doctrinam amplexus non fuisset, eis ta-  
men plura indulserit, sive avaritia ca-  
ptus, sive inertia præpeditus, sive vin-  
dictæ studio accensus in Curiam Roma-  
nam, quæ sub Pontificatu Bonifacii IX.  
patrocinata est ejus æmulo, atque ut  
huic faveret, ipsius exauctorationem  
promovit.

§. CCXXVIII.

*De Statu Galliae in hoc anno.*

In partes scindebatur Francia, atque in-  
gentia undique mala huic regno im-  
minere videbantur. Hinc Angli jam al-  
teram exscensionem Tungis fecerant,  
pluresque Normanniæ urbes occupave- Tonques;  
rant; illinc Burgundiæ Dux ægre fe-  
rens, quod ab administratione arceretur,  
adversus Regem & regnum iteratas con-  
flavit conspirationes. Ex altera parte  
Comes Hannoniæ, ejusdem propin-  
quus, Joannem Delphinum generum  
suum fulcire omnibus viribus allabora-  
bat, hunc enim Aurelianensis Ducis fa-  
ctio juribus suis exuere tentabat, ut e-  
contra Carolum Pontivensem Comitem  
fratrem ejus natu minorem exaltaret;  
Sed hæc ipsa animorum societas no-  
va dissensionibus supposuit incrementa.  
Exoptabant Parisienses Ducis Burgun-  
di



Sæcul. XV.  
A.C. 1416.

di reditum, eratque detecta conspi-  
ratio quædam, vi cuius factioni Bur-  
gundicæ Parisiensis Urbis portas ape-  
rire statuebant. Dabant tamen pœnas  
præcipui proditoris auctores, quibus-  
dam capite truncatis, aliis in vincula  
conjectis, omnibusque, in quos perfidiæ  
suspicio cadebat, in exilium depulsis, ac  
ne ipsis quidem Parlamenti, aut Univer-  
sitätis membris a supplicio exceptis. De-  
nique lanionum cohorte penitus  
abolita, Cives armis spolia-  
bantur.



HISTO-